## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Schrader, Gerhard, 1865-
De Ciceronis nominum propriorum usu quaestiones selectae, dissertatio ... quam ... publice defendet scriptor Gerhardus Schrader... Berolini, Hermann, 1902.
52 p. 22 cm.

Thesis. Berlin.
Vol. of theses.



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-26-92 INITIALS m.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

*AUTHOR:*

SCHRADER, GERHARD

*TITLE:*

DE CICERONIS NOMI-
NUM PROPRIORUM...

*PLACE:*

BEROLINI

*DATE:*

1902

**AIIM**

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

403

# DE
# CICERONIS NOMINUM PROPRIORUM USU QUAESTIONES SELECTAE.

**DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

**ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE**
**FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI**

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

**DIE XIII M. OCTOBRIS A. MDCCCCII**

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

GERHARDUS SCHRADER
HANNOVERANUS

**ADVERSARII ERUNT**

OTTO RESSMEYER, CAND. PHIL.
KONRAD KLINGER, CAND. PHIL.
ERICH ECKSTORFF, DR. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT H. S. HERMANN
1902.

IOHANNI VAHLENO

ADOLPHO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM

## I.

A Muellero, novissimo orationum Tullianarum editore, complura nomina propria in vitii suspicionem vocata sunt. Quae res iure iniuriane facta sit, disceptare conantes nonnulla quae ad nominum usum pertinent afferre studebimus.

1. Atque ut qua potissimum criminatione in nomina critici utantur quamque late illa pateat manifestum fiat, a locis Sophocleis nonnullis proficisci liceat, quibus, cum criticis assentiamur, a scriptore ipso nos dissentire demonstrari crediderim. Leguntur in El. v. 954 sqq. — de hoc loco Vahlenus in progr. Berol. 1885/86 disseruit — haec verba:

*νῦν δ' ἡνίκ' οὐκέτ' ἔστιν, εἰς σὲ δὴ βλέπω,*
*ὅπως τὸν αὐτόχειρα πατρῴου φόνου*
*ξὺν τῇδ' ἀδελφῇ μὴ κατοκνήσεις κτανεῖν*
*Αἴγισθον· οὐδὲν γάρ σε δεῖ κρύπτειν μ' ἔτι.*

Bergkius, ut Aegisthi nomen propius esset vocabulum *αὐτόχειρα*, versuum ordinem ita mutavit, ut v. 957 ante v. 956 collocaretur; quae mutata series quamquam tolerari posset, tamen non modo non necessaria, sed, id quod ex exemplis infra allatis elucere crediderim, tradita deterior est. Wunderus et Nauckius versum 957 insiticium esse opinantur, quorum ille versum suspectum histrioni cuidam tribuit, hic eum his verbis refellere studet: „Dass Electra, wenn sie *τὸν αὐτόχειρα πατρῴου φόνου* erwähnt, nur den Aigisthos meinen kann, ist selbstverständlich: das nachhinkende *Αἴγισθον* erscheint daher als höchst überflüssig. Geradezu störend ist die hinzugefügte Begründung *οὐδὲν γάρ σε δεῖ κρύπτειν μ' ἔτι,* die nur dann einen Sinn hätte, wenn Chrys. nicht wüsste, dass Aigisth der Mörder des Agamemnon ist.“ Sed quae versus pars ferri non posse Nauckio videtur, ut inde incipiam,

loci sententiae aptissime respondet, siquidem non ad Aegisthi nomen solum, sed ad sententiae summam refertur; neque enim sororem docet Electra, quis patrem necarit, id quod haud dubie necessarium non erat, sed de consilio suo Aegisthi interficiendi non iam celare sororem se debere dicit, nam fratre mortuo nullum se habere adiutorem nisi illam:

*νῦν δ' ἡνίκ' οὐκέτ' ἔστιν, εἰς σὲ δὴ βλέπω.*

De nomine ipso, ex quo posito orta est suspicio, priusquam iudicemus, non alienum est cum his versibus alios comparare, qui, cum his de quibus agitur simillimi sint, et ipsi criticis in suspicionem venerunt (cf. progr. Berol. 85/86). Leguntur autem illi versus in Antigonae fabula, ubi Antigona sorori interroganti (v. 44)

*ἦ γὰρ νοεῖς θάπτειν σφ', ἀπόρρητον πόλει;*

haec verba respondet:

45 *τὸν γοῦν ἐμὸν καὶ τὸν σόν, ἢν σὺ μὴ θέλῃς*
46 *ἀδελφόν· οὐ γὰρ δὴ προδοῦσ' ἁλώσομαι.*

In verbis enim sic distinctis inesse apparet, quo qui attente ea legit offendatur. Quae offensio ut tolleretur, critici priorem versum mutarunt, alterum tollendum significarunt. Atque quia propter particulam *γοῦν* aliquid opus est, quod pronomini *ἐμόν* opponatur, Dindorfius pro *τὸν γοῦν ἐμὸν καὶ τὸν σὸν κτλ.* scripsit: *τὸν γοῦν ἐμὸν κοὐ τὸν σὸν κτλ.* Sed quamquam litterae non tam graviter mutatae sunt, parum probabilitatis prae se fert haec emendatio. Nam verba: „meum neque tuum sepeliam fratrem, nisi volueris (sc. eum sepelire)“ parem sententiam haberent atque haec: „tu, nisi sepelire eum volueris, fratris particeps non iam eris;“ quae tamen vis in hanc sententiarum rationem non quadraret. Rectius Nauckius de hoc versu iudicat, cum hanc verborum conformationem proponit:

*ἔγωγε τὸν ἐμόν, τὸν σὸν ἢν σὺ μὴ θέλῃς.*

(ego quidem .... nisi tu); qua verborum distinctione pronomina *ἐμόν* et *σόν* disiunguntur. At tamen quid illud *ἔγωγε* opus est, cum ex *γοῦν* particula pronomina *ἐμόν* et *σόν* inter se opposita esse satis colligatur atque abiecta *καί* particula,



cum *ἤν* coniuncta, augeatur sententiae perspicuitas. Denique sepeliendi verbum quod Nauckius desiderat, e versu antecedente facile subauditur. Qua re versus haud dubie cum Vahleno ita est scribendus:

*τὸν γοῦν ἐμόν, καὶ τὸν σὸν ἢν σὺ μὴ θέλῃς,*

h. e. *τὸν γοῦν ἐμόν, καὶ ἐὰν σὺ τὸν σὸν μὴ θέλῃς* (ego meum certe, etiamsi tu tuum noles), quae quidem sententia cum totius loci contextu convenit neque verborum commutationem poscit. Insequens autem versus, qui antecedente neglecto utrum retinendus an reiciendus esset demonstrari non poterat, criticorum suspicionem adeo movit, ut a compluribus secluderetur. Quod ut facerent, fortasse alii nulla re adducti sunt nisi veterum criticorum auctoritate; adnotavit enim scholiasta: *Δίδυμός φησιν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν στίχον νενοθεῦσθαι;* alii etiam suo sensu ducti a Sophocle versum abiudicandum esse censent. Nauckius quidem hanc sententiam ita comprobare studet: Der Vers verletzt die Stichomythie und ist äusserst matt. Quid tamen de laesa stichomythia quae vocatur iudicandum sit, quamvis accurate ea a Sophocle plerumque sit observata, ex Ai. 95. 102. 106. Oed. Col. 385 sqq. 584 perspicitur. Neque plus alterum argumentum valet. Quin etiam Nauckius ipse partem suspecti versus necessariam esse videtur putare, cum versum a se propositum:

*ἔγωγε τὸν ἐμόν, τὸν σὸν ἢν σὺ μὴ θέλῃς*

ita vertat: „Willst du nicht deinen, so will ich doch meinen Bruder bestatten.“ Sed cum hi versus antecedant:

43 Antig. *εἰ τὸν νεκρὸν ξὺν τῇδε κουφιεῖς χερί.*
44 Ism. *ἦ γὰρ νοεῖς θάπτειν σφ', ἀπόρρητον πόλει;*

versu 46 remoto nihil nisi *τὸν γοῦν ἐμὸν νεκρὸν* sc. *θάπτειν σοῦ* oportet intellegatur; quam tamen orationis formam a pietate erga fratrem longe abhorrere Nauckio ipsi persuasum esse ex eius verbis mihi videtur apparere. Denique vocabulum *ὁ νεκρός,* quippe quod in versu 43 positum sit, hoc quoque loco (v. 46) intellegendum esse minime obici potest. Nam versu 43 de verbo sepeliendi dicitur, versu autem 46 agitur, quis sit sepeliendus. Restat, ut reliqua versus pars

ea sit, qua hunc locum Sophocleum liberari oporteat. At quid tandem ea continetur, quod sanae sententiae repugnet? Mihi quidem nihil aptius ab Antigona videtur addi potuisse quam qua de causa suum vellet sepelire fratrem, etiamsi idem facere soror nollet. Praeterea haud quisquam opinabitur interpolatoris vestigium indagari propterea, quod similis sententia vel similis orationis conformatio aliis quoque locis apud Sophoclem aliosque poetas tragicos inveniatur, quos ille interpolator imitatus sit. Leguntur enim talia in Soph. Elect. 368:

*οὕτω γὰρ φανεῖ πλείστοις κακή,*
*θανόντα πατέρα καὶ φίλους προδοῦσα σούς,*

Ai. 1266:

*φεῦ· τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς*
*χάρις διαρρεῖ καὶ προδοῦσ᾽ ἁλίσκεται.*

Et Euripides Andromacham dicentem facit in Androm. 191:

*ὅμως δ᾽ ἐμαυτὴν οὐ προδοῦσ᾽ ἁλώσομαι.*

Immo eius modi locis verba, quorum summam nihil habere, quod repulsa dignum sit, supra demonstravimus, etiam quod ad eorum formam pertinet, integritatem prae se ferre planum fit. Quae cum ita sint, non est, cur suspectus versus (46) removeatur, nisi si vocabuli *ἀδελφόν* collocatio tollendi versus iusta causa est. Sed quamquam concedendum est et hic vocabulum *ἀδελφόν* et illic Aegisthi nomen perfecta iam oratione superaddi videri, quanto tamen maiore libertate uti licebat veteribus quam nobis in verbis collocandis. Permulta enim aliter ponenda sunt ei, qui hac in re diiudicanda suo ductus sensu veterum loquendi consuetudinem neglegit. Sicut Oed. Col. 1125 *ἐπεὶ τό γ᾽ εὐσεβὲς*

1126 *μόνοις παρ᾽ ὑμῖν ηὗρον ἀνθρώπων ἐγὼ*
1127 *καὶ τοὐπιεικὲς καὶ τὸ μὴ ψευδοστομεῖν*

ut ea quae coniungenda sunt inter se essent finitima, versus 1127 ante versum 1126 collocaretur opus erat. Similia inveniuntur in Ant. 246, ubi participia, inter se pariter ordinata, verbo finito *βέβηκε* disiunguntur. Et conferri possunt Trach. versus 584 et 585. Neque inutile est comparare — late enim patet verba ita collocandi usus — Il. V. 370.



*ἡ δ᾽ ἐν γούνασι πῖπτε Διώνης δῖ᾽ Ἀφροδίτη*
*μητρὸς ἑῆς.*

ubi etsi satis erat dicere *Διώνης*, tamen sententiae iam perfectae additur *μητρὸς ἑῆς*. Accedit, quod hoc loco sicut Antig. 46. appositio disiuncta in versus initio posita est.

Sed quid opus est plura afferre? Satis enim multa argumenta prolata esse crediderim, quibus versus (Antig. 46)

*ἀδελφόν· οὐ γὰρ δὴ προδοῦσ᾽ ἁλώσομαι*

stabiliatur. At nomen appellativum quod vocatur hoc modo collocari licet, non licet nomen proprium? Itaque quin Aegisthi quoque nomen (Elect. 957) non interpolatori sed poetae ipsi tribuendum sit, dubium non esse mihi videtur.

Sed ut paucis illustretur quam saepe ex nomine proprio praeter necessitatem addito viris doctis falsi additamenti suspicio nata sit, hos quoque versus Sophocleos proferre velim:

Oed. Reg. 823 sqq. . . . *εἴ με χρὴ φυγεῖν,*
*καί μοι φυγόντι μῆστι τοὺς ἐμοὺς ἰδεῖν*
*μηδ᾽ ἐμβατεύειν πατρίδος, ἢ γάμοις με δεῖ*
*μητρὸς ζυγῆναι καὶ πατέρα κατακτανεῖν*
*Πόλυβον, ὃς ἐξέφυσε κἀξέθρεψέ με;*

Ad extremum enim versum Nauckius haec adnotavit: „Die Echtheit dieses unnützen Verses wird von Wunder mit Recht in Zweifel gezogen. Auch ohne dass zu *πατέρα* der Name Polybos ausdrücklich hinzugefügt wird, ist es selbstverständlich, dass Oed., wenn er von seinen Eltern redet, nur Polybus und Merope meinen kann.“ At si unusquisque versus, quo removendo sententiarum continuatio non deletur tota, inanis dicendus est, non modo hic versus atque illi, de quibus supra diximus (Elect. 957 et Ant. 46), sed tot loci inanitatis crimen non effugient, ut his resectis omnibus reliquiae tamquam trunci sint, ramis foliisque spoliati.

Praetereamus nunc quoque nomen ipsum, ea videamus, quae, qui nomen interpolatum esse opinatur, ad versum explendum nomini addita esse fateatur opus est, verba dico: *ὃς ἐξέφυσε κἀξέθρεψέ με*. Quae verba praecedente vocabulo

πατέρα sine dubio omitti poterant. Nihilo minus similia tam saepe apud Sophoclem inveniuntur, ut non ab illius loquendi genere abhorreat huius modi exaggeratio, atque cur ea hoc ipso de quo agitur loco non a Sophocle sit profecta, nisi temere dici non possit. Quam ad rem affirmandam nonnulla exempla afferre velim; legitur Oed. Reg. 793 et 1514: τοῦ φυτεύσαντος πατρός. Ai. 1296: ὁ φιτύσας πατήρ. Trach. 311: τίς δ' ὁ φιτύσας πατήρ.

Ai. 1172 ἱκέτης ἔφαψαι πατρός, ὅς σ' ἐγείνατο
Elect. 261 ᾗ πρῶτα μὲν τὰ μητρός, ἥ μ' ἐγείνατο,
ἔχθιστα συμβέβηκεν.

Verbum ἐκφύειν legitur Oed. Reg. 437. . . . τίς δέ μ' ἐκφύει βροτῶν; Neque offensionem affert, quod non unum, sed duo posita sunt verba, id quod cum Graecorum dicendi more convenit. Sicut similia sunt apud Platonem leg. VI 776b γεννῶντες καὶ ἐκτρέφοντες.

Itaque nihil restat, quod accusari possit nisi nomen proprium, quod iure an iniuria accusetur, dirimendum est. — Sublato nomine sententiarum continuationem non prorsus tolli supra significatum est, sed utrum orationis forma codicibus tradita an illa, quae est a criticis proposita, efficacior sit, hoc quaerendum est. In qua re inquirenda Nauckii ipsius verba, quae ad hanc rem pertinent, referre liceat (ad vers. 823 adnotata): „Oidipus, der noch keine Ahnung von seiner Herkunft hat, stellt sich vor . . . .“ Haec autem Oedipodis inscientia nonne Polybi nomine addito clarius spectatoribus ostenditur? Itaque hoc loco sicut Antig. 46 ille criticus errat, cum illic (Antig. 46) vocabulum ἀδελφόν reicit, vim autem eius retinet, hic quid poeta spectet, quamquam haud ignorat, tamen tollendum notat id, quo illud efficacissime illustretur. Sequitur, ut hoc loco suspectum nomen non solum ferri possit, sed eo remoto locus depravetur sicut Antig. 46. Praecipue autem propter collocationem Polybi nomen sicut illa nomina, de quibus supra egimus, suspicionem movit.

Quin etiam non raro nomina propria, quae ab appellativis suis disiuncta non sunt, nimio criticorum purgandi studio expelluntur, velut Phil. 1442 sqq.



1442 ὡς τἄλλα πάντα δεύτερ' ἡγεῖται πατὴρ
1443 Ζεύς· ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς·
1444 κἂν ζῶσι κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται.

ubi etiam duo versus interpolati nominis gratia falso additi esse putantur. Nauckius quidem adnotat: „Diese beiden Verse (sc. 1443 et 1444) hat man mit Grund als unecht bezeichnet; eine zu πατήρ beigeschriebene Erklärung Ζεύς mag den Anlass zur Interpolation gegeben haben. Obenein aber ist 1443 verderbt, da er mit 1444 in directem Widerspruche steht.“ At tamen illi opinioni, qua ad nomen adscriptum reliqua addita esse putantur, quantum tribuendum sit, fortasse intellegitur ex his versibus: Ai. 460 sqq.*)

πότερα πρὸς οἴκους, ναυλόχους λιπὼν ἕδρας
μόνους τ' Ἀτρείδας, πέλαγος Αἰγαῖον περῶ;
καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεὶς
Τελαμῶνι; πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν
γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ,
ὧν αὐτὸς ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέγαν;
οὐκ ἔστι τοὔργον τλητόν.

Negari enim non potest πατρί cum dicatur, neminem nisi Telamonem intellegi posse. Accedit, quod versibus 463—465 (Τελαμῶνι . . . εὐκλείας μέγαν) sublatis orationis ratio non deleta est; nam verba insequentia: οὐκ ἔστι τοὔργον τλητόν non minus cum iis quae remanent, quam quae sublata essent verba, convenirent. — Denique verborum γυμνὸν . . . μέγαν summa aliquo modo versibus 434 sqq.

ὅτου πατὴρ μὲν τῆσδ' ἀπ' Ἰδαίας χθονὸς
τὰ πρῶτα καλλιστεῖ' ἀριστεύσας στρατοῦ
πρὸς οἶκον ἦλθε πᾶσαν εὔκλειαν φέρων·
ἐγὼ δ' ὁ κείνου παῖς, . . .

continetur. Qua re qui Telamonis nomine et hisce versibus non offendatur, eum non habere putaverim, cur notanda esse

*) Hos versus Vahlenus affert Sitzungsberichte der Akademie zu Berlin 1902 X, quia eiusdem Telamonis nomen similiter posito e Sophocleis verbis ab Aristotele rhet. III. 15. p. 1416 b I laudatis Roemero delendum videtur.

statuat verba: ***Ζεύς*** ... ***ἀπόλλυται.*** Sed faciamus esse aliquid in versibus, quod emendandum sit, num ob hanc rem toti versus oportet in suspicionem vocentur? Atqui ne illa quidem versuum discordia quae esse putatur manet, si verba ***συνθνήσκει*** et ***οὐκ ἀπόλλυται*** esse inter se contraria negari licet. Et licet, si quidem versus 1444 verba ***κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται*** ita, ut ex loci sententia poscitur, intelleguntur id quod fieri posse putaverim. Verba enim ***κἂν ζῶσι κἂν θάνωσιν*** non sic accipienda sunt: „sive sunt (sc. homines), sive non iam sunt,“ sed ita fere: „sive lucem aspiciunt, sive apud inferos sunt.“ Quodsi haec verba recte intelleximus, verbis ***συνθνήσκει βροτοῖς*** non significatur: „simul cum hominibus vel mortalibus perit (sc. pietas)“, sed: „pietas homines ad inferos proficiscentes comitatur“; ibi autem mortuis iudices constituti esse credebantur.*)

Sed utut res se habet, si nomen proprium abesset, fortasse versus emendatione digni illi quidem, sed reiciendi non putarentur. Jam satis clare ex hoc loco elucet, quanto studio nomina propria in vitii suspicionem vocare persaepe criticis placeat; itaque nomen, ita ut Polybi nomen collocatum, litura dignum haberi eo minus mirandum est. Neque vero huius modi nominum collocationem a Sophocle alienam esse supra demonstravimus. Ac ne critici quidem de hac re semper dubitare videntur, quippe qui semel iterumque in tali nominum collocatione non haeserint. Quid, Polybi nomen num minorem affert offensionem Oed. Reg. 956:

*ἐκ τῆς Κορίνθου, πατέρα τὸν σὸν ἀγγελῶν*
*ὡς οὐκέτ' ὄντα Πόλυβον, ἀλλ' ὀλωλότα.*

Hoc autem loco cum versu 956 sublato non solum orationis color evanuisset, sed etiam sententiarum continuatio tota esset deleta, una cum versu nomen ipsum a criticorum suspicione tutius erat. Sed quod Polybi nomen in ipso initio collocatum est versus 827:

*καὶ πατέρα κατακτανεῖν*
*Πόλυβον, ὃς ἐξέφυσε κἀξέθρεψέ με*

*) cf. Plat. Gorg. 524 E.



si haec res ipsa causa est, cur ille suspectus habeatur, quid impedit, quominus Thesei nomen a nullo temptatum critico, a Sophocle abiudicemus in Oed. Col. 1350:

v. 1348 *ἀλλ' εἰ μέν, ἄνδρες, τῆσδε δημοῦχος χθονὸς*
*μὴ 'τύγχαν' αὐτὸν δεῦρο προσπέμψας ἐμοὶ*
*Θησεύς, δικαιῶν ὥστ' ἐμοῦ κλύειν λόγους,*
*οὔ τἄν ποτ' ὀμφῆς τῆς ἐμῆς ἐπήσθετο·*

ubi non solum nomen proprium eundem versus locum obtinet, sed etiam, id quod non minus attendendum est, orationis sententia toto versu 1350 deleto intellegi posset. Qua re non minus quam aliis locis nomen in margine adscriptum, adscripti causa reliquam versus partem additam esse opinari oportebat eum, qui quidem propter nomen positum Electr. 957 et Oed. Reg. 827 in vitii suspicionem vocavit.

Neve hoc uno loco sibi non constitisse critici videantur, referri liceat Ai. v. 895:

*τὴν δουρίληπτον δύσμορον νύμφην ὁρῶ*
*Τέκμησσαν, οἴκτῳ τῷδε συγκεκραμένην*

ubi et nomen pari modo atque supra positum est et totum versum, quem additum esse quamquam praestat, tamen omissum non is desideraret, qui ubique propter nomen suspectum versum interpolatum esse opinetur. Neque ita longe discedunt ab eius modi exemplis hi versus, qui apud Euripidem leguntur in Elect. 764

762 *νικῶντ' Ὀρέστην πᾶσιν ἀγγέλλω φίλοις,*
*Ἀγαμέμνονος δὲ φονέα κείμενον πέδῳ*
*Αἴγισθον· ἀλλὰ θεοῖσιν εὔχεσθαι χρεών.*

Interdum multa intercedunt inter nomen proprium eiusque appellativum, velut Aesch. Agam. 841 sqq. (Kirchh.)

841 *ἐκ τῶνδέ τοι παῖς ἐνθάδ' οὐ παραστατεῖ,*
*ἐμῶν τε καὶ σῶν κύριος πιστωμάτων,*
*ὡς χρῆν, Ὀρέστης· μηδὲ θαυμάσῃς τόδε.*
*τρέφει γὰρ αὐτὸν εὐμενὴς δορύξενος*
*Στρόφιος ὁ Φωκεύς,*

atque omitti potuit totus versus quo continetur Orestis nomen, nisi verba *τρέφει γάρ κτλ.* ex verbo *θαυμάσῃς* penderent.

Sed longum est omnia enumerare exempla, e quibus quid de nominibus propriis ab appellativis seiunctim positis iudicandum sit, dilucide appareat. Conferri possunt, ut pauca addam a Sophocle petita — in Homeri enim carminibus sescenties nomina eodem modo collocata esse, sicut Il. V. 378. 457. 468. XI. 739. XXII. 500, multa alia, nemo nescit — quae leguntur Ai. 1299. Elect. 661. Oed. Reg. 925. Trach. 127 et 156.

Sed haec hactenus. Iam manifestum est, nisi fallor, ex locis, de quibus egimus, quid criticis emendandum saepe videatur, quidque Graecorum scriptoribus dicere placuerit.

2.

Neque aliter, ubi a Romanis scriptoribus alicui nomini appellativo compluribus verbis interiectis nomen proprium additum est, viri docti persaepe locum nomine resecando aut secludendo ad sanitatem revocandum esse censuerunt. Imprimis Tullianis scriptis haec criticorum cura non defuit. Sicut Epicharmi nomen in editione Orelliana seclusum est ad Att. I. 19. 8 ***atque ita tamen his novis amicitiis implicati sumus, ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret [Epicharmus] cantilenam illam suam***

***Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.***

quamquam cum codicum lectio tum orationis conformatio nomen tolli dissuadet, neque enim Epicharmi nomen iam antea positum est, neque ex cantilena illa, quis significetur, satis perspicuum esse crediderim, nisi quis verbis ***vafer ille Siculus*** neminem nisi Epicharmum dici posse iudicat.

Quodsi recte iudicat, cur nomen adderetur oportebat de orat. II. 3. 10 ***sed sive iudicio, ut soles dicere, sive, ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse, pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti.*** Num dubium erat, omisso nomine quis ille pater eloquentiae nominaretur? Neque tamen a Cicerone abiudicandum nomen idem editores censuerunt, et recte illi quidem; sed eodem iure, quo huic nomini Epicharmi quoque nomini libertas vindicanda erat. Conferri haec quoque possunt, quae leguntur in Tusc. IV. 2. 3 ***gravissimus auctor in Originibus dixit Cato,*** ubi quamquam verbis ***auctor in Originibus*** quis significaretur nemo ignorabat, tamen Catonis nomen additum est. Neque ad hoc nomen incertae originis signum in editione Orelliana est appositum.



Collocationi autem Epicharmi nominis non plus tribuendum est, nam Isocratis quoque nomen, nisi post vocabulum ***eloquentiae***, potius post ***scripsit*** quam eo quem nunc obtinet locum exspectatur.

De eius modi autem nominum collocatione apud Ciceronem usitata postea uberius dicendum erit, cum de nominibus a Muellero inclusis agetur; nunc non inutile videtur compluribus exemplis, quid in hac re praeter Ciceronem aliis scriptoribus placuerit, ostendere. Atque eiusdem Epicharmi mentio fit ab Horatio in epist. II. 1. 58

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,

Neque quisquam nomen interpolatum esse suspicabitur, quamquam ex totius loci sententia non difficilius Epicharmum intellegi putaverim quam loco illo Tulliano. Et licet omnibus tam notus fuerit ille Epicharmi versus a Cicerone laudatus, ut, ***vafer ille Siculus*** cum diceret insequente eius versu, nemo Epicharmum non intellegeret, tamen hanc ob causam nomine posito suspicionem moveri non oportere ex his verbis Horatianis colligi potest, quae sunt sat. II. 3. 20

olim nam quaerere amabam
quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere.

Nam artificium, de quo hic agitur, haud ignotum fuisse putaverim. Accedit quod inde ab Homero, quippe qui Il. VI. 153 de illo haec dicat:

***ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν,***

Sisyphus vafer nominabatur. — Insequens quoque exemplum Horatianum huc pertinet, cum ex eo, quid de addendo nomine alia orationis parte iam interposita iudicandum sit, appareat; verba dico, quae sat. I. 7, qua satira Graecus ille Persius et Rupilius Rex Praenestinus inter se certantes ab Horatio inducuntur, versu 32 leguntur:

at Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat . . .

Hoc enim loco nisi metri ratione tamquam vinculo teneretur, haud dubie unius vel alterius suspicionem Persi nomen movisset, atque eo magis, quod versu 28 *Praenestinus*, versu 32 *Italo aceto* dicitur.

Neque poetis epicis aut comicis illa nominum collocatio displicuit neque abhorruit a pedestri sermone. Ovidius quidem, ut nonnulla proferam exempla, scripsit Met. I. 149

Victa iacet pietas, et Virgo caede madentes,
ultima caelestum, terras Astraea reliquit,

ibid. I. 270

Nuntia Junonis varios induta colores
concipit Iris aquas.

Neque in deliciis non habuisse nominibus propriis hoc modo uti Vergilium satis planum fieri crediderim hos locos consideranti Aen. VII. 122

genitor mihi talia namque
(nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit,

ibid. II. 596

non prius aspicies ubi fessum aetate parentem
liqueris Anchisen.

ibid. III. 610

ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
dat iuveni. . .

Quibus tribus locis Anchisae nomen omissum non desideraretur; ibid. VIII. 28

cum pater in ripa gelidique sub aetheris axe
Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
procubuit.

ibid. I. 315

virginis os habitumque gerens et virginis arma,
Spartanae vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum.

Quo loco quamquam id non periculum est, ne quis Harpalyces nomen inducat, tamen qui nihil antiquius habere videatur,



quam ut nomina in vitii suspicionem vocet, is verba *volucremque fuga praevertitur Hebrum*, quae aptissime de Threissa equos fatigante dicuntur, ad nomen ab interprete quodam adscriptum addita esse opinetur. — Longo spatio distat nomen proprium ab appellativo suo Aen. VII. 678 sqq.

Nec Praenestinae fundator defuit urbis,
Volcano genitum pecora inter agrestia regem
inventumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus.

Denique ex magno eorum versuum numero, qui propter nomina propria posita conferri possunt, hos enumerare liceat: Aen. I. 496, VI. 450, I. 346, II. 403, I. 670, V. 12, V. 284, VI. 337. — Pronomen „ille“ et nomen quod cum eo coniungendum est, disiuncta posita sunt Aen. II. 540

at non ille, satum quo te mentiris, Achilles
talis in hoste fuit Priamo,

Simili modo, quo Vergilius ad pronomen „ille“, quo quis significaretur, satis perspicuum erat, Achillis nomen seiunctim addidit, Plautus Amph. 26 scripsit:

etenim ille, cuius huc iussu venio, Juppiter . . .

quamquam paulo ante (v. 19 et 20) dictum erat:

Jovis iussu venio, nomen Mercurio est mihi.
pater huc me misit ad vos oratum meus,

Et versu 120 Jovis nomen enuntiato finito ad vocem patris adiungitur:

nam meus pater intus nunc est eccum Juppiter;

Atque in oratione soluta talia inveniri non pauca docent exempla. Velut apud Cornelium Nepotem haec leguntur Attic. c. 16, 3. *quamquam eum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familior.*

Sed satis de hoc, quia eis, quae adhuc prolata sunt, hoc quidem evinci putaverim: qui quid in nominibus propriis utendis veteribus placuerit, explorare conetur, ei non solum sententiarum continuationis sed etiam orationis coloris rationem habendam esse. Nunc ad ea accedamus, quae potissimum tractare instituimus.

II.

Ex tot locis Tullianis, ubi in Muelleri editione nomina propria seclusa sunt, nonnulli eius modi eligentur, quorum suspecta nomina mihi videantur apta esse, quae illo dubitationis signo liberentur. Itaque ab his verbis proficisci liceat, quae leguntur Verr. lib. I. 15. 41. *Ille miser cum esset [Cn. Dolabella] cum proditione istius nefaria, tum improbo ac falso eiusdem testimonio, tum multo ex maxima parte istius furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit.*

Ubi unus Zumptius Cn. Dolabellae nomen tuetur, cum reliqui omnes inde a Naugerio editores hoc a Cicerone abiudicandum esse censeant, quamquam omnibus libris scriptis traditum est. Itaque quam offensionem tradita verba afferant, quaerendum est. In qua quaestione multum refert ad totam verborum structuram recte perspiciendam, ubi unius sententiae finis sit initiumque alterius. Hanc autem non a verbis *cum proditione istius nefaria* sqq. incipere mihi persuasum est, quae verborum coniunctio orationis nec conformatione nec sententia commendatur. Nam ut nunc suspectum nomen praetermittam, parum apte ita intellegeretur *cum miser esset, conflagravit cum ... tum ... tum,* quia, id quod Muellerus recte in adnotationis criticae pag. XXXI censet, male sic nude ponitur *cum miser esset,* male *proditione istius conflagravit.* Conflagrandi enim verbum multo aptius cum verbis *istius furtorum ac flagitiorum invidia,* quam cum *proditione et testimonio* coniungitur. Deinde vis atque pondus verborum *miser cum esset*, miseriae causa nisi significatur, magnopere deminuitur. Contra: si huius miseria ex illius proditione nefaria atque improbo et falso eiusdem testimonio exstitisse dicitur, summa cum acerbitate incusatur homo ille scelestus, quod perdiderit totum, quem iam ante miserum reddidisset. Itaque sententia posterior initium capit a verbis *tum multo ex maxima parte* cet. Quod si statuitur, neque legi potest *miser cum esset Cn. Dolabella, cum proditione ... cum improbo ... tum multo ex maxima parte* cet. neque *miser cum esset Cn. Dolabella, tum proditione ... tum improbo ... tum multo ex maxima parte ...* quippe



quae verborum coniunctio eis repugnet, quae modo explanata sunt. Neque consentiunt inter se codicum lectiones, e quibus Guelferb. 1 et vetus codex Stephani *cum proditione* praebent, Guelferb. 2 et deteriores libri *tum proditione.* Et pro *tum improbo,* reliquis codicibus tradito, in Guelferb. 1, 2 *cum improbo* legitur. Sed ex particularum mutatione ipsa incuria vel error perspicitur. Neque igitur dubium est, quin enuntiati sententia ita accipienda sit *Cn. Dolabella cum miser esset ..., tum multo ex maxima parte conflagravit;* et illius miseriae causa duplex eisdem particulis (cum—tum) positis significatur *cum proditione istius ... tum eiusdem testimonio (miser).*

Quodsi eiusmodi est orationis constructio, verba *ille* et *Cn. Dolabella* dirimenda non sunt, quod ad sententiam pertinet; quae tamen verba, quia aliis interiectis seiunctim collocata sunt, permultis, ut supra dictum est, offensionem attulerunt, e quibus alius aliter locum sanare sibi visus est. Klotzius *ille* uncis inclusit, *Cn. Dolabella* retinuit. Stephanus in Corrig. *cum esset Cn. Dolabella* delevit, qua in re cum eo consensit Garat. II. Plerique autem Cn. Dolabellae nomen induxerunt. De aliis si qua adhibita sunt remedia, sicut de illo, quo ad enuntiatum antecedens pronomen *ille* additur, tacere liceat. Zumptius recte id, quod traditum est *ille miser cum esset Cn. Dolabella* retinuit, quod ut comprobaret, inter alia haec adnotavit: *Jam si hoc fit* (sc. si apodosis incipit inde a verbis: tum multo ex maxima parte), *simul intellegitur, quam utilitatem habeat interiectum nomen, nimirum ne concurrant ambo „cum", et cur Dolabella miser appelletur.* Sed quamquam quae de miseriae causa dicuntur quin vera sint, dubitari non potest, tamen non multum eis tribuendum esse putaverim, quae Zumptius de *cum* particularum vicinitate dicit. Identidem enim parvo intervallo eadem particula iterata, etsi non eadem orationis structurae parte subnixa, invenitur.

Maiori autem adiumento nomini suspecto ea verba sunt, quae leguntur lib. II. 39, 95 et 96. *Eo die transigi nihil potuit, quod et id temporis erat et ille, pater istius, invenerat homines, qui dicendo tempus consumerent.*

Neque tamen opus erat verbis *pater istius,* cum nemo nisi Verris pater pronomine *ille* designari posset. Antecedunt enim verba: *Aderat in senatu Verres, pater istius, et flens unum quemque senatorum rogabat, ut filio suo parceret, neque tamen multum proficiebat; erat enim summa voluntas senatus. Itaque sententiae dicebantur* . . . (sequuntur paucis verbis illae sententiae). Talia additamenta ad sententiam recte percipiendam non necessaria et quae paucis intervallis repetita sint, haud raro inveniuntur. Velut lib. I. 47, 123. *Is A. Trebonium fratrem habuerat proscriptum. Ei cum cautum vellet, scripsit, ut heredes iurarent se curaturos, ut ex sua cuiusque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium illum proscriptum perveniret.* Ubi aut nomen proprium iteratum aut nomen appellativum non exspectatur.

Quae cum ita sint, necessarium esse hoc loco nomen proprium mihi videtur negandum esse, sed a Cicerone minime esse abiudicandum. Cui rei argumento est ea loquendi consuetudo, quam praeter Ciceronem aliis quoque scriptoribus placuisse supra demonstravimus, quamque Madvigius, utpote cui Dolabellae nomen removendum esse persuasum sit, opusc. I. p. 279 perstringit, ut eam reiciat. *Sed,* inquit, *nec attulit (sc. Zumptius) quicquam, quo ostenderet, pronomine „ille" in ipso sententiae initio posito ad personam demonstrandam addi ipsum nomen posse, nedum tribus verbis interpositis sententiae interruptae interiici, tanquam metueret orator, ne parum perspicue dixisset* . . . — Hoc quidem mihi quoque videtur concedendum esse oratorem non veritum, ne parum perspicue dixisset, nomen addidisse. Sed hoc cum fecit, id ille egit, ut orationis forma maiore cum perspicuitate tum facilitate esset. Neque desunt exempla, quibus eius modi nominum collocatio comprobetur. Apparere enim crediderim nomen proprium, ita ut Dolabellae nomen collocatum, potius Ciceroni quam interpreti vel interpolatori deberi ex eis, quae sunt Acad. prior. II. 14. 45. *Nam qui voluit subvenire erroribus Epicurus iis, qui videntur conturbare veri cognitionem* . . . Ubi in Epicuri nomine Halmius non haesit in editione Orelliana, quamquam in eadem editione Jordanus Cn. Dolabellae nomen ne in textu quidem retinuit.



Muellerus Epicuri quoque nomen inducit ille quidem, sed Ciceroni nomina propria attribuere non dubitat his locis: Verr. III. 35. 81. *Unus adhuc fuit post Romam conditam (di immortales faxint, ne sit alter), cui res publica totam se traderet temporibus et malis coacta domesticis, L. Sulla.* pro C. Rabirio 3. 8 . . . *quo in crimine propinquus C. Rabiri iudicio clarissimo, C. Curtius, pro virtute sua est honestissime liberatus,* pro Muren. 21. 43 . . . *dicam iam apertius, in quo meus necessarius fuerit inferior, Servius, et ea dicam vobis audientibus* . . . Ac ne talis quidem locus propter Q. Tuberonis nominis collocationem suspicionem movit, qualis est pro Ligar. 1. 1. *Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem non auditum propinquus meus ad te, Q. Tubero, detulit.* quo loco cum verba *te, Q. Tubero,* coniungenda non sint, praecipue hic verborum ordo exspectatur *propinquus meus, Q. Tubero, ad te detulit.*

Sed mittamus hoc loco plura afferre, ne longius aberret disputatio, talem enim nominum collocationem infra accuratius explanare conabimur. Nunc Cn. Dolabellae nomen num reiciendum esset, nisi a pronomine *ille* esset seiunctum, mihi videtur inquirendum esse. Madvigius ne tum quidem suspectum nomen retineri posse censet, ut ex eius verbis supra allatis apparet. Ad quam sententiam debilitandam quamquam mihi non est in promptu eius modi exemplum, quod omni ex parte vim habeat argumentandi neque quo uno inductum nomen uncis liberetur, tamen complura exempla proferri possunt, e quibus pro sua quodque parte ad eam rem, de qua est controversia, diiudicandam aliquo modo pertinere puto. — Ac primum quidem nescio an ei rei non tantum tribuendum sit, quod ad *ille* additur nomen, quamquam hoc pronomen in ipso sententiae initio positum est. Quid, particula *cum* si initio esset collocata, eamne ob rem minus afferret offensionis locus ei, qui nomen tollendum esse censet? Nam *cum* particulam ita ut hic sescenties collocatam esse nemo negabit. Itaque pro multis exemplis perpauca afferre satis esse mihi videtur:

Ad fam. XIII. 26. 1. *Id cum ipse ita iudicabat tum pro*

*familiari consuetudine saepe ex me audierat, quam suavis esset inter nos et quanta coniunctio,* ubi, quia pronomen *id* cum verbo *indicabat* solo coniungendum est, de verbo *audierat* non pendet, hic verborum ordo exspectabatur *cum id ipse ita indicabat, tum* cet. pro Sulla 33. 93. *Hoc cum a vobis impetrare causa ipsa debet, tum est vestri animi atque virtutis declarare non esse eos vos, ad quos* . . . de nat. deor. II. 42. 107. *Eius cum totius est praeclara species, ⟨tum⟩ in primis aspicienda est figura capitis atque ardor oculorum.*

Restat, ut, quoniam in pronominis *ille* collocatione non inesse, cur locus suspectus emendandus esset, exemplis modo allatis ostendimus, is qui nomen reiciat, ad pronomen *ille* nomen proprium addi posse neget. Sed tamen ad pronomen persaepe Ciceronem addidisse nomen ipsum, iam antea nominatum, satis multis exemplis infra comprobabitur; nunc haec verba sufficiant, quae leguntur pro Rabirio Postumo 10. 27. *Facilius certe P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defendet, qui cum a Mithridate Mytilenis oppressus esset, crudelitatem regis in togatos vestitus mutatione vitavit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis* cet.

Hic enim ad pronomen *ille* nomen proprium additur. Et fortasse casu auctor non haec scripsit: *ille igitur P. Rutilius* cet., sicut scripsit Verr. II. 54. 136 *in Timarchidi potestate . . . liberos, matres familias, bona fortunasque omnes fuisse. Is igitur, ut dico, Timarchides* . . . et pro Ligar. 12. 35 . . . *memoria teneo, qualis T. Ligarius quaestor urbanus fuerit erga te et dignitatem tuam . . . Hic igitur T. Ligarius . . .*

Qua re si scriptum esset (pro Rab. Post. 10. 27): *ille igitur P. Rutilius,* ad pronomen *ille* in ipso sententiae initio positum nomen proprium additum esset; nam propter eius disiunctionem nomen a Cicerone abiudicandum non esse supra paucis demonstravimus.

Denique quod nomen proprium, quamquam utriusque sententiae subiectum est, in protasi est positum, hoc loci



integritati non obstat; nam si omnis locus, quo talia reperiuntur, eam ob causam depravatus haberetur, quot essent loci remedio egentes, quorum tamen plurimis sanitas deesse ne ulli quidem critico adhuc visa est. Velut Cicero scripsit Verr. I. 32. 81 . . . *ut perspicuum sit omnibus, nisi tanta acerbitas iniuriae, tanta vis sceleris fuisset, ut Lampsaceni moriendum sibi potius quam perpetiendum putarent, numquam illos in eum locum progressuros fuisse, ut* . . . ubi scribi poterat *ut perspicuum sit omnibus Lampsacenos, nisi . . . fuisset, ut . . . putarent, numquam in eum locum progressuros fuisse, ut* . . . Et Verr. III. 27. 67, *Eius agri decumas cum emisset idem Apronius, Agyrium venit.* Nam hoc quoque loco in protasi esse collocatum utriusque sententiae subiectum statuendum videtur, quod, quae quidem res ex sententiarum continuatione perspicitur, non idem venisse, sed emisse idem dicitur. Neque aliis scriptoribus haec verborum constructio displicuit. Caesar quidem, ut pauca afferam, bell. Gall. I. 50. 4. scripsit: *Cum ex captivis quaereret Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam.*

Haec quoque huc pertinent, quae ibidem leguntur: IV. 19. 4, IV. 25. 1, V. 23. 5, III. 23. 7, II. 1. 1, IV. 22. 1, alia. — Et apud Sallustium scriptum videmus bell. Cat. c. 29. 1. *Ea cum Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, . . . rem ad senatum refert.*

Quae cum ita sint, non esse puto, cur Cn. Dolabellae nomen additamentum a nescio quo adscriptum haberi oporteat, sed in illud dicendi genus nomen quadrare, quo Ciceronem persaepe usum esse paulo accuratius explanare atque exemplis confirmare liceat.

Atque primum quidem hoc verborum collocationis genus, quo nomen proprium ad pronomen quoddam vel ad nomen appellativum seiunctim additur, non idem est atque illud, hyperbaton quod vocant grammatici, quodque, ut pauca afferam, invenitur de imp. Cn. Pomp. 3. 8. *Etenim adhuc ita nostri cum illo rege contenderunt imperatores (nostri . . . imperatores).*

Verr. V. 30. 78 . . . *cum constaret istum Syracusis a nullo visum esse archipiratam (istum . . . archipiratam).*

Quae verborum collocatio non raro ab usitata aliquantum discedit, velut Verr. IV. 11. 25 *nulla hoc civitas umquam alia commisit,* pro: *nulla alia civitas hoc umquam commisit.*

Propius autem accedit ad illam nominum a criticis uncis inclusorum collocationem vel idem fere est id collocandi genus, quod ex his exemplis intellegitur:

pro Sulla 17. 49 *At vero, cum honos agebatur familiae vestrae amplissimus, hoc est consulatus parentis tui, sapientissimus vir familiarissimis suis non succensuit, pater tuus, cum Sullam et defenderent et laudarent;* ubi verba *pater tuus* et *sapientissimus vir* non tam in unum coeunt quam superiora verba: *istum . . . archipiratam* et: *nostri . . . imperatores.* — Alia eiusdem generis exempla haec sunt: pro Cluent. 63. 176 *Post mortem eius Sassia moliri statim, nefaria mulier, coepit insidias filio.* Verr. II. 46. 114 *vide, inquam, quid inter te et hunc Siculum, qui abs te est, patrono Siciliae, condemnatus, intersit.*

Et haec conferri possunt, quae leguntur Verr. II. 24. 58, II. 66. 160, III. 14. 37, III. 23. 57, III. 88. 204, IV. 10. 21, IV. 18. 38. Denique in initio actionis primae orationis haec verba attendenda sunt (1. 2.): *Adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiam cum populo Romano, satisfacere exteris nationibus possetis, depeculatorem aerarii, vexatorem Asiae atque Pamphyliae, praedonem iuris urbani, labem atque perniciem provinciae Siciliae.*

Jam intellegitur ex allatis exemplis, quorum similia nulla fere oratio Tulliana non habet, multum interesse inter hyperbaton illud et hanc appositionis collocationem, quia illa orationis figura eorum quae inter se seiunctim posita sunt verba alterum cum altero tam arte cohaeret, ut in unum coeant, haec autem appositio liberius atque solutius illis verbis, ad quae spectat, additur. Nam Verr. act. I. 1. 2 (*adduxi enim hominem* cet.) postquam quo consilio adduceretur homo dictum est, tum demum aptissime vi atque



pondere explanatur, qualis homo sit reus, quo damnando senatorum ordo invidiam suam iudiciorumque infamiam sedare atque debilitare possit. — Pro Cluent. autem (63. 176) dici poterat: *Sassia, nefaria mulier, moliri statim coepit insidias* (Sassia, ein ruchloses Weib, beginnt u. s. w.); sed vis causalis collocatione ab auctore adhibita augetur, id quod nostro sermone fortasse sic exprimi potest: natürlich, weil sie ein ruchloses Weib ist. — Et loci, qui est Verr. II. 46. 114, sententia pluribus verbis sic exponitur: . . . qui abs te est condemnatus, quamquam, id quod praetermitti noluerim, tu Siciliae eras patronus. — Denique his verbis e Cornelio Nepote petitis demonstratur non in scriptis Tullianis solis talem verborum ordinem inveniri: Thrasyb. 3. 1 *Hoc deiecto Pausanias venit Atticis auxilio, rex Lacedaemoniorum.*

Neque minus late patent nomina propria, quae a nominibus appellativis vel pronominibus seiuncta sunt. Quae seiunctio plerumque eo fit, quod enuntiata relativa interponuntur, sicut:

Verr. I. 50. 130 *neque ii praetores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos et M. Caesius.* ibid. II. 14. 36 *Deinde a quibusdam Syracusanis admonetur (hi autem erant quidam adfines istius, quorum iste uxores numquam alienas existimavit, Cleomenes et Aeschrio)* ibid. II. 33. 80 *At eques Romanus, qui Sopatrum defendit, qui omnibus eius consiliis rebusque interfuit, Q Minucius,* ibid. V. 54. 142 *denique proximus lictor, de quo iam saepe dixi, Sextius . . .* Praeterea huc pertinent: Verr. I. 28. 71, II. 7. 21, III. 57. 130, IV. 20. 42, IV. 62. 138 sim.

Quae nomina propria, nisi fallor, criticorum suspicionem propterea non excitaverunt, quod enuntiatum relativum sicut nomen adiectivum cum illo pronomine vel nomine appellativo, a quo seiunctum est nomen proprium, ita coniungitur, ut nihil nisi attributum quoddam inter illud et hoc interpositum sit. Saepe autem nomen proprium interpolatoris curae aut librarii incuriae imputandum esse critici censuerunt, ubi inter hoc et illud appellativum sive pronomen aliena enuntiati pars interposita est, quae neutri attribui potest. Neque vero omnibus eius modi locis nominibus

tollendis remedium afferri opus esse visum est; immo permagnus est eorum locorum numerus, quibus nomen in vitii suspicionem vocatum non est; quo in numero hi sunt:

Verr. II. 30. 75 *crebro se accensus demittebat ad aurem Timarchides.* ibid. II. 41. 100 *Nuntiabatur isti primis illis temporibus, . . . etiam in contione tribunum plebis de causa Stheni, M. Palicanum, esse questum,* ibid. act. I. 8. 23 *inventum tamen esse fortem amicum ex eadem familia, Q. Verrem Romilia,* ibid. II. 7. 19 *ut Halaesinus ad se Dio continuo veniret* . . . Et conferri possunt: pro P. Sestio 3. 7 et 4. 9, pro Rosc. Comoed. 13. 39. alia.

Neque orationibus solis nomina hoc modo posita continentur; aliis quoque eiusdem auctoris scriptis talia non desunt. Velut de nat. deor. II. 34. 88 *Quodsi in Scythiam aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius,* ibid. III. 32. 80 *cur sodalis meus interfectus domi suae, Drusus? cur temperantiae prudentiaeque specimen ante simulacrum Vestae pontifex maximus est Q. Scaevola trucidatus!* Paulo post pergit auctor: *cur omnium perfidiosissimus, C. Marius, Q. Catulum, praestantissuma dignitate virum, mori potuit iubere?* — cum paulo post (81) scripta sint haec: *cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnavit!* Similia sunt: Tusc. I. 18. 41; de fin. II. 16. 54.

Hunc autem nominum usum nobis nostro sermone aliquo modo imitantibus ad nomen addendum est: nämlich vel natürlich vel ich meine vel gemeint ist natürlich vel similia, interdum vox ipsa sive gestus quidam idem atque illa additamenta valent, id quod in sermone fieri solet cotidiano.

Reliquum est, ut ea, quae pag. 20 de nomine proprio cum pronomine repetendo allata sunt, pluribus exemplis stabiliantur. Neque enim haec orationis figura a scriptoribus aut Graecis aut Romanis aliena fuit. *Lysias* quidem haec scripsit (cf. progr. Berol. 1900/01) orat. 13. 55 ***Ἀκούω δὲ αὐτὸν καὶ εἰς Μενέστρατον ἀναφέρειν τι περὶ τῶν γραφῶν τούτων· τὸ δὲ τοῦ Μενεστράτου πρᾶγμα τοιοῦτον ἐγένετο. ὁ Μενέστρατος***



***οὗτος ἀπεγράφη κτλ.*** et eadem oratione (19) leguntur haec verba: ***Εἰσπέμπουσι γὰρ εἰς τὴν βουλὴν τὴν πρὸ τῶν τριάκοντα βουλεύουσαν Θεόκριτον τὸν τοῦ Ἐλαφοστίκτου καλούμενον. ὁ δὲ Θεόκριτος οὗτος ἑταῖρος ἦν τῷ Ἀγοράτῳ καὶ ἐπιτήδειος.***

Apuleium et quosdam alios scriptores Romanos hac orationis conformatione usos esse Vahlenus Herm. 33. p. 258 sqq. explanavit. Apud Horatium tale exemplum est sat. I. 7. Poeta enim, postquam versu altero dixit . . . *quo pacto sit Persius ultus* . . . pergit versu 4:

> Persius hic permagna negotia dives habebat
> Clazomenis.

Permagna est autem exemplorum copia, quibus Ciceroni ita loqui placuisse satis perspicue demonstratur. Velut. Verr. III. 33. 77 *Aeschrionis Syracusani uxor est Pipa, cuius nomen istius nequitia tota Sicilia pervagatum est . . . Hic Aeschrio, Pipae vir adumbratus* . . . ibid. III. 38. 86 . . . *tertio anno* $\overline{\text{XII}}$ *mod. tritici lucri Diogneto Venerio dare coacti sunt. Hic Diognetus* . . . de divin. II. 23. 50 *Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi . . . extitisse repente et eum adfatus esse, qui arabat; is autem Tages . . .*

Quibus locis in ipso sententiae initio nomen cum pronomine repetitum est; neque rarius alia in parte sententiae nomen cum pronomine iteratum collocatum est, sicut de lege agr. II. 8. 21. *Sortietur tribus idem Rullus. Homo felix educet, quas volet tribus. Quos novem tribus decemviros fecerint ab eodem Rullo eductae, hos . . . dominos habebimus.* Verr. II. 43. 107 *Non quaero, quis hic sit Claudius . . . Quid, si omnium mortalium nemo Sthenio inimicior quam hic C. Claudius . . . fuit . . .* ibid. II. 53. 133 . . . *discribebat censores binos in singulas civitates Timarchides . . . Jam hic Timarchides quantam pecuniam fecerit* . . . ibid. II. 18. 46 . . . *sed omnium bonorum paternorum ipsius Heraclii, quae non minor erat pecunia, palaestrae Syracusanorum, hoc est Syracusanis, possessio traditur . . . quae bona is, qui testamentum fecerat, huic Heraclio . . . tradiderat,* ibid. II. 46. 113 *Estne hic . . . ita a Cn. Pompeio absolutus est, ut in eo ipso iudicio Pompeius*

*hunc hospitio suo dignissimum statueret? ita porro laudatus defensusque ab omnibus Siculis, ut idem Pompeius . . . arbitraretur?*

Similia scripta sunt pro Flacco 22. 53; de imp. Cn. Pomp. 15. 44; aliis locis.

Interdum ad personam nomine iam appellatam primum pronomen solum, deinde pronomen cum nomine illo iterato coniunctum spectat; cui rei haec sunt testimonio, quae leguntur Verr. II. 28. 68 *Sopater quidam fuit Halicyensis, homo domi suae cum primis locuples atque honestus. Is ab inimicis suis apud C. Sacerdotem praetorem rei capitalis cum accusatus esset, facile eo iudicio est liberatus. Huic eidem Sopatro . . .* ibid. II. 22. 53 *Hic longe primus civitatis est quidam Epicrates. Huic hereditas HS quingentorum milium venerat a muliere quadam propinqua, atque ita propinqua, ut, ea etiamsi intestata esset mortua. Epicratem Bidinorum legibus heredem esse oporteret . . . Huic quoque Epicrati venerat, ut dixi, hereditas.*

Jam allatus est locus (Verr. II. 28. 68), ubi pro uno duobus usus est pronominibus Cicero. Eodemque modo pronomina duplicata leguntur praeter alios his quoque locis: Verr. II. 29. 70; de imp. Cn. Pomp. 16. 46.

Huic autem nominis proprii iterationi, de qua egimus, non ita dissimilis est ea orationis forma, quae ex his verbis perspicitur, quae sunt Verr. III. 34. 78 *Hordei decumas eiusdem agri Docimus emerat. Hic est Docimus, ad quem iste deduxerat Tertiam,* ibid. II. 7. 20 . . . *litteras Halaesam mittit . . . ut Halaesinus ad se Dio continuo veniret. . . . Hic est Dio . . .*

## 2.

Altero utemur exemplo, quo, nisi fallor, nomen proprium uncis iniuria gravatum esse demonstrari possit. Verba dico, quae sunt Verr. V. 31. 82 a Muellero sic edita: . . . *erat Nice, facie eximia, ut praedicatur, uxor Cleomeni Syracusani. Hanc [Cleomenes] vir amabat, verum tamen huius libidini adversari nec poterat nec audebat et simul ab isto donis beneficiisque multis devinciebatur.*



Quo loco Jordanum puto recte iudicare de lectione palimpsesti Vaticani, cuius in eo fragmento, quo verba continentur inde a cap. 31. 80 usque ad cap. 32. 85, Cleomenis nomen praebetur, quod tamen ceteri codices non habent. Quaerendum est igitur, utrum ad explicandam sententiam ab interprete nomen additum esse verisimilius sit, an illud traditum per errorem vel consilio esse omissum. Quodsi quis illud verisimilius esse opinatur, ei concedi oportet ad loci perspicuitatem augendam addi potuisse Cleomenis nomen ab eo, qui, quisnam voce viri significaretur, paulisper dubitaret; aut: propter antecedentis eiusdem nominis vicinitatem librarii incuria nomen falso repeti potuisse. Nihilo minus ea, quae cum hac opinione pugnant, maioris momenti esse mihi videntur. Ac primum quidem suspectum nomen, quamvis non necessarium, tamen Tulliana dicendi consuetudine stabilitur, de qua re postea agetur. Incuria autem librarii multo facilius omitti potuit alterum nomen, quam id, quod semel traditum erat, iterari. Neque alienum est opinari criticum olim nimio emendandi studio adductum suspectum nomen sustulisse. Quantopere nostri quidem critici nomina iterata secludere in deliciis habeant, ex multis apparet exemplis, e quibus hoc loco unum afferre liceat:

Tusc. III. 32. 77 *Et tamen non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso, quod esse summum malum Cleanthes ipse fateatur.* Ubi alterum Cleanthis nomen a Muellero inclusum est, quamquam de imp. Cn. Pomp. 17. 53 *si plus apud populum Romanum auctoritas tua quam ipsius populi Romani salus et vera causa valuisset, hodie hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium teneremus?* in verbis: *populi Romani* non haeret idem editor. Neque seclusit Lampsacenorum nomen Verr. I. 24. 63 *Oppidum est in Hellesponto Lampsacum, iudices, in primis Asiae provinciae clarum et nobile; homines autem ipsi Lampsaceni cum summe in omnes cives Romanos officiosi, tum . . .* etsi illius vocabuli integritas suspecta ei videtur. (cf. adnot. crit.)

Iam ex eorum includendi inconstantia nonnullis exem-

plis modo demonstrata elucet criticos identidem nulla necessitate coactos a Cicerone abiudicasse, quae ab eo profecta esse ex multis locis concludere possent. Nunc duo exempla attendi utile est, quae suspecto Cleomenis nomini adminiculo sunt:

Tusc. III. 15. 31 *Hic est enim ille voltus semper idem, quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate, eodem semper se vidisse exeuntem illum domo et revertentem.*

Hic quoque Socratis nomen a Muellero et a plerisque priorum editorum in vitii suspicionem vocatum est, idque contra optimorum codicum fidem, Gudiani et Regii Parisini, quorum in illo *Socratam* in hoc *Socratem* traditum est. Utrumque autem nonnihil depravatum esse puto et in *Socrate* esse emendandum, quam nominis formam codex Bruxellensis, in quo codice erasa est littera post „e", exhibet. Sed leve illud mendum mihi videtur. — Hoc autem loco cum, etiamsi Socratis nomen abesset, nemo dubitaret, quis significaretur, illud nomen interpolatum esse multo minus verisimile est, nisi forte vir ullus in deliciis habuisse putatur, ubicumque viri vocem, cui vis mariti esset subiecta, invenisset, eius viri nomen addere vel in margine adnotare. Sin est, qui ita censeat, nonne eiusdem interpolatoris vestigium altero Aeschrionis nomine tollendo ab eo deleri oportebat:

Verr. III. 33. 77 *Aeschrionis Syracusani uxor est Pipa . . . Hic Aeschrio, Pipae vir adumbratus . . .*

Quoniam igitur suspectum Cleomenis nomen exemplis satis confirmari demonstravimus, plenius atque uberius disceptari liceat de nominum iteratione, quae haud scio an hoc loco de nomine dubitandi causa fuerit. Saepe enim nomina accumulata inveniuntur, etiamsi pronomen quoddam, non iteratum nomen desideratur, aut exspectatur neutrum.

Nihil quidem miri habet nominum coacervatio, neque propter eam interpolatorem indagavit quisquam, ubicumque eius modi coacervationis causa manifesta est, velut Verr. III. 61. 142 *Simul illud intellegi potest istius in Apronium studium, Aproni de isto non modo confessio, verum etiam commemoratio*, utpote quo loco Apronius Verresque inter se opponantur. Neque maiorem suspicionem movere possunt nomina, quae ad sententiarum pondus augendum accumulata sunt, sicut de leg. agr. II. 8. 20 *Hoc dicam planius: iubet Rullus, homo non cupidus neque appetens, habere comitia Rullum.* Ubi pro „Rullum" „semet ipsum" poterat dici. Simile scriptoris consilium patet pro Sest. 16. 37 *Erat autem res ei cum exercitu C. Mari invicto, habebat inimicum C. Marium, conservatorem patriae, . . .*



In quod genus cadunt haec quoque verba: de leg. agr. II. 35. 97 . . . *nedum isti ab Rullo et Rulli similibus conquisiti atque electi coloni* . . . et Verr. III. 14. 37 *At ista vis Septicium et nonnullos Septici similes non coercet* . . . cum nostro nos sermone dicere consuerimus: seinesgleichen, quod tamen a Latinorum sermone non prorsus alienum esse ex hisce verbis apparet: Verr. III. 62. 143 . . . *non modo Apronio atque eius similibus* . . .

Plerumque nomina, quo maiore cum pondere nominentur, in similibus sententiarum locis collocari solent; sive in earum initiis, velut Verr. II. 10. 26 *Verres calumniatores apponebat, Verres adesse iubebat, Verres cognoscebat, Verres iudicabat;* ibid. IV. 38. 83 *Verres Africani monumentis domum suam plenam stupri, plenam flagitii, plenam dedecoris ornabit? Verres temperantissimi sanctissimique viri monumentum, Dianae simulacrum virginis in ea domo conlocabit* . . . ibid. IV. 57. 126 *Verres haec habeat domi, Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas.* ibid. III. 4. 9 *Verrem esse, qui vestras villas suis manubiis ornet? Verrem esse, qui cum L. Mummio certet . . .?* ibid. III. 72. 168 *Vettius, tuus familiarissimus, Vettius, tuus affinis, cuius sororem habes in matrimonio, tuae uxoris frater, Vettius, frater tui quaestoris, testatur litteris impudentissimum tuum furtum;* ibid. IV. 50. 112 *Henna tu simulacrum Cereris tollere audebas, Henna tu de manu Cereris Victoriam eripere . . . conatus es?* ubi et Hennae et Cereris nomina consilio duplicata sunt. — sive in fine sententiarum inveniuntur, ut afferam: de leg. agr. II. 9. 22 *Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem*

*partem populi suffragiis prohibuit? Rullus. Quis comitiis praefuit, quis tribus, quas voluit, vocavit nullo custode sortitus, quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? Idem Rullus. Quem principem renuntiavit? Rullum.*

Similiter nomen accumulatum legitur Verr. IV. 67. 150 *Praebuerintne (sc. navem) praetore C. Verre? Negabunt. Aedificarintne navem onerariam maximam publice, quam Verri dederunt? Negare non poterunt. Frumentum ab iis sumpseritne C. Verres, quod populo Romano mitteret, sicuti superiores? Negabunt.*

Pro nominibus autem propriis interdum eodem modo usurpari pronomina haec docent verba pro Flacco 25. 60 *Mithridatem deum, illum patrem, illum conservatorem Asiae, illum Euhium, Nysium, Bacchum, Liberum nominabant.*

Sed de eis nominibus, quae quo consilio iterata sint, manifestum est, quid attinet plura requirere? Ea videamus, quae coacervata vel iterata, si quis nostro ductus sensu iudicat, orationi nequaquam ornamento sunt. At tamen hac in re veteribus et Graecis et Romanis alia atque nobis placuisse vel ex hoc ipso intellegitur, quod sescenties parvis intervallis eadem voce usi sunt. Neque a nominibus propriis iterandis abhorruisse illos nemo negabit, qui quam late patuerit tale loquendi genus, considerarit. Scripsit enim Plato Gorg. 524 E *ἐπειδὰν οὖν ἀφίκωνται παρὰ τὸν δικαστήν, οἱ μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας παρὰ τὸν Ῥαδάμανθυν, ὁ Ῥαδάμανθυς ἐκείνους ἐπιστήσας θεᾶται ἑκάστου τὴν ψυχήν.* Protag. 336 C *εἰ μὲν οὖν καὶ Πρωταγόρας ὁμολογεῖ φαυλότερος εἶναι Σωκράτους διαλεχθῆναι, ἐξαρκεῖ Σωκράτει.* Phaedr. 278 B *καὶ σύ τε ἐλθὼν φράζε Λυσίᾳ, ὅτι νὼ καταβάντε ἐς τὸ Νυμφῶν νᾶμά τε καὶ μουσεῖον ἠκούσαμεν λόγων, οἳ ἐπέστελλον λέγειν Λυσίᾳ . . .*

Neque rarius in novo enuntiato principali iterantur nomina; sicut apud eundem Platonem legitur Theaet. 183 E *Μέλισσον μὲν καὶ τοὺς ἄλλους . . . . ἧττον αἰσχύνομαι ἢ ἕνα ὄντα Παρμενίδην. Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται . . .* Et apud Xenophontem: Mem. II. 9. 6 *ὁ δέ, συνειδὼς αὑτῷ πολλὰ καὶ πονηρά, πάντ' ἐποίει, ὥστε ἀπαλλαγῆναι τοῦ Ἀρχεδήμου. ὁ δὲ Ἀρχέδημος οὐκ ἀπηλλάττετο . . .* et paulo post (7) eiusdem



Archedemi nomen eodem modo repetitum est. Inst. Cyr. III. 3. 2 et 3 . . . *καὶ τὸ χρυσίον ἐκόμιζεν* (sc. *ἡ γυνὴ τοῦ Ἀρμενίου*), *ὃ πρότερον οὐκ ἤθελε λαβεῖν Κῦρος. καὶ ὁ Κῦρος ἰδὼν εἶπεν.* Conferri quoque possunt quae sunt ibid. II. 4. 7. Complura eius modi exempla in progr. Berol. 1900/01 et 1901, ubi Vahlenus hunc nominum usum perstringit, composita sunt.

Persaepe talis nominum iteratio occurrit poetas legentibus, sicut, ut nonnullos afferam versus, scriptum est Il. III. 449 sqq.:

> *Ἀτρεΐδης δ' ἀν' ὅμιλον ἐφοίτα θηρὶ ἐοικώς,*
> *εἴ που ἐσαθρήσειεν Ἀλέξανδρον θεοειδέα·*
> *ἀλλ' οὔ τις δύνατο Τρώων κλειτῶν τ' ἐπικούρων*
> *δεῖξαι Ἀλέξανδρον τότ' ἀρηιφίλῳ Μενελάῳ.*

et Ov. met. V. 238

> Aggreditur Proetum: nam fratre per arma fugato
> Acrisioneas Proetus possederat arces.

Nec mirandum est, quod similia inveniuntur apud poetam comicum, quippe cuius oratio sermonem cotidianum imitetur. Plautus quidem scripsit mil. glor. 948:

> Volup est, quod agas, si id procedit lepide atque ex sententia;
> nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum meum,
> ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret.

In quibus versibus et graecis et latinis pronomen, non nomen ipsum desideratur. — Sed ab eadem dicendi ubertate saepe ne ei quidem abhorruerunt, qui oratione soluta scribebant. Ex eis locis, qui apud Caesarem ad hanc rem pertinent, hos afferre velim, bell. Gall. I. 35 *His responsis ad Caesarem relatis iterum ad eum Caesar legatos cum his mandatis mittit.* Nam alterutrum Caesaris nomen omitti aut pro eo pronomen quoddam poni poterat. ibid. VIII. 24. 4 *Ipse ad vastandos depopulandosque fines Ambiorigis proficiscitur; quem perterritum ac fugientem cum redigi posse in suam potestatem desperasset, proximum suae dignitatis esse ducebat adeo fines eius vastare civibus, aedificiis, pecore, ut odio suorum Ambiorix, si quos fortuna reliquos fecisset,*

*nullum reditum propter tantas calamitates haberet in civitatem.* Neque enim iterato Ambiorigis nomine neque pronomine opus erat. Et similia leguntur ibid. I. 48 *Postridie eius diei praeter castra Caesaris suas copias traduxit et milibus passuum duobus ultra eum castra fecit eo consilio, ut frumento commeatuque, qui ex Sequanis et Aeduis supportaretur, Caesarem intercluderet.* Ubi omissis eis, quae interposita sunt, haec dicuntur: *ultra eum* (sc. Caesarem) *castra fecit eo consilio, ut Caesarem intercluderet.* Exspectatur autem *ut eum intercluderet.* Et lib. II. 13 pro altero Caesaris nomine pronomen desideratur. Sunt autem verba haec: *Qui cum se suaque omnia in oppidum Bratuspantium contulissent, atque ab eo oppido Caesar cum exercitu circiter milia passuum quinque abesset, omnes maiores natu ex oppido egressi manus ad Caesarem tendere . . . coeperunt.*

Neque desunt Liviana exempla, ad eius modi nominum usum quae pertinent (cf. progr. Berol. 1876/77). Leguntur enim lib. 39. 39. 10 *censuerunt frequentes, quoniam Flaccum auctoritas patrum nihil movisset, ad populum cum Flacco agendum,* lib. 26. 9. 10 *inter hunc tumultum Q. Fulvium proconsulem profectum cum exercitu Capua affertur, cui ne minueretur imperium, si in urbem venisset, decernit senatus, ut Q. Fulvio par cum consulibus imperium esset.*

Denique, ut nonnullis exemplis id nominis iterandi genus perstringatur, quo in nova sententia nomen paucis vel nullis verbis interiectis iterum ponitur, afferre velim: Caes. bell. Gall. I. 32. 1 ... *omnes qui aderant magno fletu auxilium a Caesare petere coeperunt. Animadvertit Caesar* . . . ibid. I. 43. 2 *item equites Ariovisti pari intervallo constiterunt. Ariovistus,* . . . ibid. V. 22. 3 *Cassivellaunus . . . de deditione ad Caesarem mittit. Caesar . . . obsides imperat,* ibid. VII. 87. 5 *Labienus . . . Caesarem per nuntios facit certiorem, quid faciendum existimet. Accelerat Caesar* . . .

Sed quoniam demonstrasse videor, quam non alienum fuerit aut a Graecis aut a Romanis iterare vel coacervare nomina propria, etiam tum, cum potius pronomen quam ipsum nomen desideraretur aut neutrum opus esset, eundem Ciceronis usum attendamus, qui ex permultis exemplis apparet, ex quo numero pauca afferantur; atque primum quidem ea, in quibus nec nomen nec pronomen exspectetur. Velut Verr. II. 40. 99 *Si praesens Sthenius reus esset factus, si manifesto in maleficio teneretur, tamen, cum accusator non adesset, Sthenium condemnari non oporteret.* Ubi nonne satis erat ita dicere: *Si praesens Sthenius reus factus esset. . . eum condemnari non oporteret;* vel potius: *Sthenium, si praesens reus factus esset . . . condemnari non oporteret;* qua verborum coniunctione nec repetito nomine nec opus esset pronomine. — Verr. II. 17. 41 *Ubi comperit Heraclium non adesse, cogere incipit eos, ut absentem Heraclium condemnent:* nomen iteratum est, quamquam hoc quoque loco dici poterat *ut absentem condemnent,* nam paulo post (42) haec leguntur: . . . *moleste ferre coeperunt Heraclium profugisse: putabant absentis damnationem . . . multo invidiosiorem fore.* Et conferri possunt, quae leguntur Verr. V. 31. 82 *Itaque excogitat rem singularem; naves, quibus legatus praefuerat, Cleomeni tradit, classi populi Romani Cleomenem Syracusanum praeesse iubet atque imperare* . . . Ubi cum inter se contraria sint *populi Romani* et *Syracusanum,* vis rhetorica eadem maneret, etiamsi *Cleomenem* abesset; quid enim pertinet ad rem nomen illius Syracusani, modo nominati?



Itaque Romae nomen, quod Baitero et Kaysero removendum videbatur, manere praestat: de leg. agr. II. 34. 94 *Nos autem, hinc Roma qui veneramus* . . ., cum praesertim, quid *hinc* particula scriptor dicere velit, nomine addito magis explanetur, i. e. nos, qui ad illius oppiduli magistratus hinc veneramus, ex imperii Romani, quin etiam ex totius orbis terrarum capite . . .

Denique Verr. II. 36. 89 *nunc ad Sthenium revertar. Iratus iste vehementer Sthenio et incensus hospitium ei renuntiat,* propter pronomen *ei* Stheni nomen repetitum non desideratur, quia cui Verres iratus sit, non latet.

Multo autem saepius pro iterato nomine pronomine auctor uti poterat, id quod multis comprobatur exemplis. Velut Verr. I. 10. 28 *Cum Dio ipse prodiret, cum ceteri, qui*

*tum in Sicilia negotiis Dionis interfuissent, cum per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret, reperiretur* . . . Fortasse ne talem quidem locum afferri inutile est, qualis est Verr. I. 39. 100 *Quod minus Dolabella Verri acceptum rettulit, quam Verres illi expensum tulerit . . . et quod plus fecit Dolabella Verrem accepisse, quam iste in suis tabulis habuit* . . . Nam si regulis certis tamquam vinculis impeditus esset, auctor fortasse scripsisset aut: *quam iste illi expensum tulerit* aut: *quam Verres in suis tabulis habuit.*

Verba autem, quae Verr. II. 23. 55 leguntur, digna sunt, quae attendantur, quia Cicero eum, quem ante pronomine designavit, nomine ipso appellat. *Homines Regium proficiscuntur: Epicratem conveniunt et demonstrant . . . se dedisse; rogant eum, ut . . . curet, . . . de illa hereditate cum Epicrate neminem esse acturum. Epicrates* . . . Eodem pertinent verba, quae sunt ibid. II. 36. 89 *Eum autem statim inimicissimi Stheni domum suam invitant, ut animum eius in Sthenium inflammarent* . . .; ibid. II. 46. 113 *Estne hic, qui apud Cn. Pompeium, clarissimum virum, cum accusatus esset, . . . ita a Cn. Pompeio absolutus est, ut in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignissimum statueret?*

Nec carent talia verba eo, quod attentione dignum sit, qualia haec sunt, quae leguntur: Verr. III. 24. 60 *A Q. Apronio, iudices, homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato, ad Verris flagitia libidinesque adcommodato, equitem Romanum scitote biduum cibo tectoque prohibitum, biduum Leontinis in foro custodiis Aproni retentum atque adserratum neque ante dimissum, quam ad condicionem eius depectus est.* Ubi omissis eis, quae interposita sunt, haec dicuntur: *A Q. Apronio equitem Romanum scitote custodiis Aproni retentum.* Quod exemplum affertur, non quin intellegi possit nominis iteratio, quam ex tot tantisque sententiae partibus interiectis natam esse manifestum est, sed quia hic, quamquam non modo nomine proprio repetito, sed fortasse ne pronomine quidem opus erat, criticis in mentem non venit interpolatoris, cum saepe de eis addubitaverint, quae minus



eos fines excedere crediderim, quibus elegantia Tulliana putatur contineri.

Alia eius modi sunt:

Verr. III. 25. 62. *Statuitur, ut dico, eques Romanus . . . in Aproni convivio, cum interea Apronius caput atque os suum unguento confricaret,* ibid. III. 30. 73 *Ut probaret Apronius hoc triticum, quod ei dabatur, imperat Agyrinensibus Verres, ut in medimna singula dentur Apronio HS.* ibid. III. 65. 152 *Adventu L. Metelli praetoris, cum omnes eius comites iste sibi suo illo panchresto medicamento amicos reddidisset, aditum est ad Metellum;* ibid. V. 40. 104 *poterone eos afficere supplicio, qui Cleomenem secuti sunt, ignoscere Cleomeni, qui secum fugere et se consequi iussit?* Ubi tamen antithesis non deleretur, etsi scriberetur: *ei ipsi* vel similia. ibid. V. 44. 116 *Phalacrum Centuripinum dixeram exceptum esse a Cleomene, quod in eius quadriremi Cleomenes vectus esset.* Philipp. II. 38. 97 *An Caesaris decreto Creta post M. Bruti decessum potuit liberari, cum Creta nihil ad Brutum Caesare vivo pertineret?* ibid. XIII. 14. 30 *Utrum igitur aequius, utrum melius rei publicae fuit Cn. Pompeium an sectorem Cn. Pompei vivere, Antonium?*

In exemplis supra allatis in una eademque sententia nomen iteratur, sive in eis quae arte inter se cohaerebant sententiae. Persaepe autem in eius modi novis sententiis repetuntur nomina, in quibus pronomen pro iterato nomine poni possit. Repetitio tamen vel coacervatio nominum fortasse ex orationis colore exstitit; nam omnes fere eius modi loci alacritatem quandam prae se ferunt, quae ex interrogationis forma ac nominis collocatione apparet, aut oratoris studium rei breviter perspicueque explanandae, quod ex sententiarum nonnullarum colligi potest brevitate. Adde, quod persaepe nulla particula posita alterum alteri enuntiato additur. Ad quam sententiam affirmandam haec exempla videntur esse apta: Verr. IV. 24. 53 *Invenit Archagathus paucos, qui vellent accipere; iis dedit. Eos nummos tamen iste Archagatho non reddidit. Voluit Romae repetere Archa-*

*gathus*, ibid. V. 40. 104 *Fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Vocat Cleomenen, dicit ei se statuisse* ... ibid. IV. 39. 85 *Sopater iterum flens ad senatum rem defert, istius cupiditatem minasque demonstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat,* ibid. I. 51. 135 *Hi rem ad virum primarium summo officio ac virtute praeditum, M. Marcellum, qui erat pupilli tutor, deferunt. Venit ad Verrem M. Marcellus* . . . ibid. IV. 18. 39 *Quia non potuerat eripere argentum ipse, a Diodoro erepta sibi vasa optime facta dicebat: minitari absenti Diodoro* . . .

Interdum in insequentis enuntiati initio ipso repetitum nomen collocatur; velut pro Flacco 20. 47 *Interim, neque ita longo intervallo, libertus a Fufiis cum litteris ad Hermippum venit; pecunia petitur ab Hermippo. Hermippus ab Heraclida petit* . . . Verr. I. 48. 125 . . . *fecit heredem M. Octavium Ligurem. Ligus hereditatem adiit.* Et paulo post: . . . *Sulpici patroni filia sextam partem hereditatis ab Ligure petere coepit. Ligus non aderat,* ibid. IV. 19. 41 *Condemnare Diodorum non audet absentem, de reis eximit. Diodorus interea . . . provincia domoque caruit,* ibid. II. 23. 56 *Dicunt Bidini Volcatio se dedisse, illud non addunt: iussu istius. Volcatium vocat, pecuniam referri iubet. Volcatius animo aequissimo nummos affert* . . . ibid. II. 25. 62 *Tum isti bene commendati cum Metello una proficiscuntur. Metellus simulac venit Syracusas* . . . ibid. II. 34. 85 . . . *a Sthenio petere coepit, ut ad ea tollenda operam suam profiteretur seque adiuvaret. Sthenius vero non solum negavit, sed etiam* . . . ibid. II. 37. 90 *Itaque illi non procrastinant, Sthenium statim educunt, aiunt ab eo litteras publicas esse corruptas. Sthenius postulabat* . . . ibid. III. 22. 55 *Verres in Xenonem iudicium dabat illud suum damnatorium de iugerum professione. Xeno ad se pertinere negabat.*

Sed haec quidem hactenus, ut paucis perstringatur illa nominum iteratio, quae in interrogationibus saepe reperitur alacribus; sicut in his: Verr. III. 16. 43 *Successit tibi L. Metellus. Tu innocentior quam Metellus, tu laudis et honoris cupidior?* ibid. III. 25. 63 . . . *istis contumeliis scitote Q. Lollium coactum ad Aproni leges condicionesque venisse. Lollius aetate et morbo impeditus ad testimonium dicendum venire non potuit. Quid opus est Lollio?* ibid. III. 60. 139 *Scandilius rem se totam relicturum dicit et suo tempore esse rediturum. Quid, tu tibi tum quid facis? Scandilium cogis — quid?* ibd. IV. 7. 16 *Haec cum scirem et cogitarem, commisi tamen, iudices, Heio, produxi eum prima actione, neque id tamen ullo periculo feci. Quid enim poterat Heius respondere?* pro Roscio Amer. 35. 99 *Non orat, ut eam noctem pervigilet, ut honoris sui causa laboret, ut Capitoni quam primum nuntiet? Quid erat, quod Capitonem primum scire voluit?*



Affinitate quadam cum illa nominum iteratione coniuncta est ea orationis conformatio, qua persona quaedam, nomine vel pronomine iam appellata, nomine appellativo repetitur, quasi non de eadem, sed de altera agatur persona. — Nomen appellativum antecedit, sequiturque nomen proprium Hor. carm. IV. 8. 22 (cf. progr. Berol. 1901)

Quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
obstaret meritis invida Romuli?

ubi pro *Romuli*, quod ad sententiam recte percipiendam pertinet, satis erat dicere *eius*. Itaque Hermannus, ne bis idem diceretur, nomen mutandum censuit. Neque tamen recte iudicavit ille; an Hor. epod. 3. 9. Jasonis nomen integritate caret:

ut Argonautas praeter omnis candidum
Medea mirata est ducem,
ignota tauris inligaturum iuga
perunxit hoc Jasonem,

Idemque loquendi genus invenitur apud Tibullum I. 1. 18

pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
terreat ut saeva falce Priapus aves.

Et similiter conformata est oratio Aen. VI. 472 sqq.

tandem corripuit sese atque inimica refugit
in nemus umbriferum, coniunx ubi pristinus illi
respondet curis aequatque Sychaeus amorem.

Sed ad ea quae supra significavimus exempla redeamus. Quorum haec tamen ea sunt, e quibus unde talis orationis conformatio orta sit, perspiciatur; sicut pro Muren. 15. 32 *Atqui si diligenter, quid Mithridates potuerit et quid effecerit et qui vir fuerit, consideraris, omnibus regibus, quibuscum populus Romanus bellum gessit, hunc regem nimirum anteponas.* Quo loco *hunc* sive *eum* sive *illum* dici poterat, dicitur tamen *hunc regem*, ut verbis *omnibus regibus* aliquid obiciatur, quod ipsa forma eis sit contrarium.

Idem intellegitur ex his verbis: Verr. II. 37. 91 *Intellectum est id istum agere, ut, cum Sthenium sine ullo argumento ac sine teste damnasset, tum homo nefarius de homine nobili atque id aetatis suoque hospite virgis supplicium crudelissime sumeret:* nam *homo nefarius* verba verbis *de homine nobili* opponuntur.

Saepenumero autem, ut supra diximus, pro appellativo nomine pronomen exspectatur. Dixeris ironice vel contemptim auctorem hominis voce usum esse Verr. V. 39. 102 *iste in tabulas refert, obsignat signis amicorum providens homo,* ibid. V. 31. 82 . . . *iste, tametsi ea est hominis impudentia, . . . parum poterat . . . habere,* ibid. I. 48. 126 *non dubitabat, quin, si ipse Verrem convenisset, aequitate causae, auctoritate sua commovere hominem posset;* sed illud colligi non potest, nisi ex singulis verbis, sicut *providens* vel *impudentia* aut ex totius loci continuatione, non ex voce hominis ipsa. Neque enim vis ironica vel contemptionis plena statui potest: Verr. III. 23. 57 *Postea cum ad eum Nymphodorus venisset Aetnam et oraret, ut sibi sua restituerentur, hominem corripi ac suspendi iussit in oleastro quodam* (cum Nymphodorus venisset . . . hominem corripi iussit sc. Apronius). Nam nihil minus auctor agit, quam ut de Nymphodoro misero cum contemptu loquatur. Cur igitur hominis voce opus erat, dici cum posset: cum Nymphodorus venisset, eum corripi iussit. Praeterea pronominis loco hominis voce Cicero usus est: Verr. II. 28. 69 *Timarchides . . . ad Sopatrum venit, monet hominem . . .* ibid. II. 27. 65 *Heraclius ille et Epicrates longe mihi obviam cum suis omnibus processerunt,*



*. . . constitui cum hominibus, quo die mihi Messanae praesto essent.*

Nonne eodem modo quo nominum iteratio haec orationis conformatio arti illi rhetoricae repugnat, qua orationem, quamvis magna ubertate sit, quam maxime concinnam reddere atque astrictam oratorem decere multi putant?

Neque vero desunt loci, quibus dubitari non potest, quin a via illa atque ratione loquendi oratores haud raro longius discesserint. Cicero quidem, qui omnes Romanos elegantia superavit, quam non sit in dicendo circumscriptus praeceptis illis apparere crediderim ex hac perpaucorum exemplorum serie. Scripsit enim ille Verr. IV. 10. 21 *Sed quod erat* (sc. Phaselis) *eius modi loco atque ita proiecta in altum, ut et exeuntes e Cilicia praedones saepe ad eam necessario devenirent, et, quom se ex hisce locis reciperent, eodem deferrentur, adsciverunt sibi illud oppidum piratae primo commercio, deinde etiam societate.* Ubi quia praedones et piratae idem sunt homines, alterutra vox omitti poterat, neque loci sententia eo obscurabatur, aut poterat pro *piratae* pronomen quoddam poni. Sed enuntiatis *quom . . . deferrentur* interpositis iterum ei nominantur, de quibus agitur, tamquam si non iam antea significati sint.

Neque minus longe se removere mihi videtur auctor ab illa usitata orationis concinnitate, cum scribit Verr. III. 58. 134 *tu Apronium, hominem vix liberum, contaminatum, perditum, flagitiosum, qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram conservare potuisset, eum in tanto tuo dedecore . . . appellasses,* ibid. III. 39, 89 *At Amestratinos, homines tenuis, cum eorum decumas medimnis DCCC vendidisses Bariobali Venerio (cognoscite nomina publicanorum) — cogis eos plus lucri addere, quam quanti venierant, cum magno venissent.*

Nam utroque loco prorsus supervacaneum esse pronomen (*eum* et *eos*) negari non potest. Nihilo minus, cur oratio ita formata sit, non latet. Id enim spectavit auctor, ut quam maxima vi atque pondere illuc Aproni premeret nequitiam sordemque (eum i. e. einen so nichtswürdigen, schmutzigen Menschen hättest du . . .), hic tenuitatem paupertatemque

Amestratinorum (eos i. e. diese armen, ausgeplünderten Menschen zwingst du . . .).

In quibus duobus exemplis, quia non pendet aut nomen aut pronomen, critici non haeserunt, haeserunt Verr. act. I. 18. 53, quae verba a Muellero ita edita sunt: *Non patiar rem in id tempus adduci, ut [Siculi], quos adhuc servi designatorum consulum non moverunt, cum eos novo exemplo universos arcesserent, eos tum lictores consulum vocent* cet. Ubi *Siculi*, quippe quod nomen pendeat, Madvigio auctore plerique editores incluserunt. At scriptum si esset aut: *Siculi . . . ei tum a lictoribus consulum vocentur* aut: *Siculos . . . eos tum lictores consulum vocent*, quid, ab illis exemplis, quae supra allata sunt, num quicquam hoc differret? Nunc neutrum cum scripserit auctor, is qui suspectum nomen ab eo abiudicat, parum tribuere videtur verbis, quae leguntur Verr. III. 71. 165 *Ac primum hoc ex te quaero, tu, cui publicani ex Carpinati litteris gratias egerunt, pecunia publica ex aerario erogata, ex vectigalibus populi Romani ad emendum frumentum attributa fueritne tibi quaestui, pensitaritne tibi binas centesimas.*

Qui quidem locus, pro *tu* si dictum esset *tibi*, eiusdem esset generis atque Verr. III. 58. 134 et 39. 89. Nam esse glossam pronomen pendens, id quod de Siculorum nomine opineris, dici non potest. At tamen non minus illud auctori tribuendum est quam hoc, quia utroque loco perspicuum est, unde exstiterit haec orationis conformatio **ἀνακόλουθος** quae vocatur. Illic enim enuntiato temporali *cum eos novo exemplo arcesserent* interiecto cum fugisset dicentem eius nominis (sc. Siculi) forma, ad quod referebatur pronomen relativum (sc. quos), posuit pronomen demontrativum, idque, cum propter formae *arcesserent* vicinitatem *vocent*, non *vocentur* dicturus esset, non in primo casu, quem casum formae *Siculi* responsurum fuisse supra demonstravimus, sed in quartu casu (eos) posuit. — Simili modo postremo loco (Verr. III. 71. 165) oratio aberravit.

Sed ad alium accedamus locum, ubi utrum nomen inducendum sit necne, paucis disseremus.



3.

Pro Ligario 7. 23 Muellerus verba ita edidit: *Sed quoquo modo se illud habet, haec querella [Tubero] vestra quid valet . . .*

Inter codices autem, ut intellegatur, quid ad suspectum nomen fulciendum, quidque ad idem refutandum ex eis sumi possit, codex Gemblacensis et Ambrosianus perhibent: „querella, Tubero, vestra". In codice Erfurtensi (nunc Berol.) superscriptum est Tuberonis nomen.

Codicum ergo lectio minime obstat, quo minus Tuberonis nomen remaneat. Quodsi remanet nomen, quaerendum est, num in eius collocatione sit, in quo quis haerere debeat. Ordo quidem verborum *Tubero vestra* in codicibus errore mutari potuit; eodem enim loco codice G *se illud*, codice E *illud se* traditum est. Atqui non tam singulariter videtur nomen esse positum, siquidem attenditur, quanta libertate in vocativis collocandis uti licuerit oratori, atque ei, qui tanta esset ubertate atque alacritate, quanta Ciceronem fuisse constat. — Plerumque autem vocativum post pronomen aut verbum, ad quod spectet, poni notum est; ut afferam Verr. I. 51. 133 *tu, Verres, hic quod moliare, non habes, nisi . . .* ibid. V. 64. 165 *hoc tu, Verres, idem dicis*, pro Ligar. 3. 8 *Vide, quaeso, Tubero, ut . . .* ibid. 9. 26 *sed vide, quaeso, Caesar, constantiam . . .* Sed paulo ante leguntur haec (23): *Vide, quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas det vel potius audaciae.* Neque raro ab illis formis, quibus altera verbi persona significatur, vocativi remoti collocantur, sicut Verr. V. 64. 166 *Si tu apud Persas aut in extrema India deprensus, Verres, ad supplicium ducerere . . .* ibid. I. 20. 53 *hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse . . .*

Etiam in enuntiati ipso initio, quamvis non saepe, vocativus ponitur, ubi auctor cum gravitate quadam loquitur atque cum verborum magnificentia, velut Verr. III. 68. 159 *O Timarchide, Metelli est filius in provincia non puer, sed adulescens bonus ac pudens . . .* Philipp. III. 11. 27

*O C. Caesar (adulescentem appello), quam tu salutem rei publicae attulisti . . . !*

Neque hic locus non attendendus videtur, quem alia de causa p. 19 attulimus, dico pro Ligar. 1. 1 *Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem non auditum propinquus meus ad te, Q. Tubero, detulit.* Nam in eo loco, quo vocativus exspectatur, alterum nomen positum est. — Sed talia potissimum verba digna sunt, quae afferantur, cum eis, quid Ciceroni in vocativis collocandis interdum placuerit, planum fiat: de orat. I. 47. 207 *Peto igitur, Crassus inquit, a te, quoniam id nobis, Antoni, hominibus id aetatis oneris . . . imponitur, ut exponas . . .* ibid. I. 9. 38 . . . *omnium mihi videor exceptis, Crasse, vobis duobus eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios, . . .*

Denique, quoniam de nominibus agitur, in vocativo positis, haec verba Tulliana addi liceat, quae in editione Teubneriana ita leguntur: Verr. I. 48. 127 *Quid est, Verres? utrum ne his quidem testibus credetur, an haec ad rem non pertinent? non credemus M. Octavio, non L. Liguri? quis nobis credet, cui nos? quid est, [Verres,] quod planum fieri testibus possit, si hoc non fit?* — Iordanus quoque iteratum Verris nomen seclusit, quamquam codicum lectionem non obstare, quominus illud teneatur, ex hac eiusdem Iordani adnotatione colligi posse videtur: *Verres om. e. V.* Quod signum hunc in modum explanatur: *Ubi Maius editionis scripturae auctoritatem codicis non diserte adscripsit, signo e. V.* (edit. Vat.) *usi sumus . . .; interdum iure dubitari videtur, satisne accurate codicis scripturam in editione expresserit.* — Accedit, quod eadem nominis repetitio invenitur in Catil. I. 5. 13 *Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere, quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me, num in exilium; non iubeo, sed, si me consulis, suadeo. Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit?*

Sequitur, ut loco, e Verrinis petito, Verris nomen removendum non sit.



4.

Alius locus, qui nomine proprio incluso editori ad sanitatem revocari videtur, legitur Verr. IV. 50. 111 *Hic dolor erat tantus, ut [Verres] alter Orcus venisse Hennam et non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur;* non quo codicum lectiones nomen auctori attribui prohibeant, sed quia hoc omisit Servius in adnotatione, quam scripsit ad Verg. Aen. VI. 273, unde iam Garatonius glossam esse nomen suspicabatur. Qua de re disserentes neque quaerimus, utrum facilius in scripta Tulliana irrepere an ex commentariis Servianis excidere nomen potuerit, et hoc concedimus Servio Verris nomen addendum fuisse, si quidem locum Tullianum ad verbum exprimere eius interfuisset. Sed versibus illis Vergilianis:

> vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
> Luctus et ultrices posuere cubilia Curae

nihil cum illo loco Tulliano commune est nisi Orci nomen, qui quis esset, ut demonstraretur, Verris nomen addi nihil opus erat.

Adde, quod Servium ea, quae ad verbum referri nihil intererat, eisdem verbis reddere noluisse ex adnotatione illa extrema apparet, ubi haec dicuntur: *nam Orcus idem est Pluto. ut in Verrinis indicat Cicero dicens: ut alter Orcus venisse Hennam et non Proserpinam sed ipsam Cererem rapuisse videatur. alibi ait: qua Ditem patrem emersisse ab inferis putant. — dicimus autem et hic Dis et hic Ditis.* — Itaque Servius hoc loco etiam praeter nomen omissum aliquoties Ciceronis orationem non ad verbum rettulit.

Ex extremis autem Servi verbis, si ad Verr. IV. 48. 107: . . . *qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse* referenda sunt, multo magis apparet Ciceronis verba, nisi pravitatem prae se ferant, Serviana adnotatione temere non esse mutanda. Accedit, quod ex Servianis verbis: *ut in Verrinis indicat Cicero dicens: ut alter Orcus venisse*

Verrem venisse alterum Orcum haud difficile subauditur. Qua re suspectum nomen neque Servi adnotatione labefit et stabilitur codicum lectione.

Denique quaerendum est, id quod nonnullis visum est criticis, debiliteturne sententia, si „Orcus" non subiecti loco sed praedicati habeatur, vel potius, itane debilitetur, ut similis sententia hoc modo conformata apud Ciceronem non inveniatur. Atqui eadem sententia verbis solis mutatis aliquoties occurrit orationes Tullianas legentibus; sicut scripsit de leg. agr. III. 3. 10 *et is, qui a me Sullanas possessiones defendi criminatur, non eas solum sancit, verum ipse novas adsignationes instituit et repentinus Sulla nobis exoritur.* (is ipse . . . repentinus Sulla exoritur.)

Sed maxime hic locus attendendus est, e Verrinis petitus: lib. V. 56. 145 *Versabatur in Sicilia longo intervallo alter non Dionysius ille nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos et crudelis tyrannos), sed quoddam novum monstrum ex vetere illa inmanitate, quae in isdem locis versata esse dicitur (non enim Charybdim tam infestam neque Scyllam nautis quam istum in eodem freto fuisse arbitror), hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus et inmanioribus canibus succinxerat, Cyclops alter multo importunior:*

Duo enim hoc loco continentur exempla: *ille versabatur non alter Dionysius nec Phalaris* et, quod maximi momenti est: *iste Cyclops alter multo importunior versabatur:* ubi et *alter Dionysius* et *alter Cyclops* praedicata esse neque sententiae vim diminui manifestum est. — Nulla igitur ex parte Verris nomen suspectum nobis videtur.

5.

Neque ab auctore profectum esse putatur Deiotari nomen, quod scriptum est pro rege Deiot. 3. 8, ubi haec verba leguntur: *Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti; te eius di penates acceperunt, te amicum et placatum [Deiotari] regis arae focique viderunt.*



Sed Deiotari nomine, quod in omnibus libris scriptis traditum est, omisso, cui amicum et placatum Caesarem arae focique regis viderint, desideraretur. Qua re pro tradito illo *Deiotari Deiotaro*, quae forma iam a viris doctis proposita est, legendum esse verisimile est. Neque si insequentis vocabuli *regis* ratio habetur, unde tradita forma exstiterit, latet. Quod autem nomine proprio antecedente idem vir nomine appellativo demonstratur, hoc dicendi genus cum p. 38 nonnullis exemplis confirmatum est, tum hoc loco nihil habet, quo quis offendatur, quia nomen substantivum *regis* eodem modo positum est, quo *regiae* dici possit; quod adiectivum prorsus simili modo usurpatum cap. 7. 19 invenitur:

*Quod cum praesens Deiotarus regio animo et more fecisset, tu in cubiculum discessisti . .*

Sed fac ad verba antecedentia illud nomen non spectare, dubium esse mihi videtur, num quis propter verborum *Deiotari regis* ordinem, quamquam nisi hoc loco tota oratione non usitatum, habeat, cur nomen repudiet, si talia attendit, qualia scripta sunt: Verr. II. 65. 159 *Itaque Rhodii, qui prope soli bellum illud superius cum Mithridate rege gesserunt,* de imp. Cn. Pomp. 5. 12 *Regno est expulsus Ariobarzanes rex, socius populi Romani atque amicus*; ibid. 18. 55 *nos, quorum maiores Antiochum regem classe Persemque superarunt* . . . Verr. IV. 31. 70 *Audisti Q. Minucium dicere domi suae deversatum esse Antiochum regem Syracusis*; . . . et paulo post dicitur: . . . *illud (sc. candelabrum) Iovi optimo maximo dicatum esse ab rege Antiocho et consecratum,* ibid. IV. 46. 103 *memoriae proditum est classe quondam Masinissae regis ad eum locum adpulsa praefectum regium* . . . *sustulisse* et paulo post: *Itaque in iis scriptum litteris Punicis fuit regem Masinissam inprudentem accepisse* . . .

Eadem intellegitur libertas in verbis collocandis, ubi nomina propria et adiectiva a nominibus ducta inter se coniuncta sunt. Sicut scriptum est Verr. IV. 49. 107 *religio est Cereris Hennensis* quamquam paulo post (108) legitur: *Hennensem Cererem maxime colunt.* ibid. V. 43. 111 *Hera-*

*clius Segestanus*, ibid. V. 46. 122 *Adest Phylarchus Haluntinus . . . Adest Centuripinus Phalacrus*, ibid. III. 56. 129 *Centuripinum Dioclem, hominem locupletem suspendisse se constat*, et paulo post scriptum est: *homo nobilissimus Archonidas Helorinus*, ibid. II. 25. 62 *Et Heraclius ille Syracusanus et hic Bidinus Epicrates expulsi bonis omnibus Romam venerunt.*

6.

Haec quoque verba a Muellero propter nomen positum putantur depravata esse, quae leguntur pro P. Sulla 10. 30 *Qui cum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixisset, tantum modo ut vos, qui ea probatis, exaudire possetis, de supplicio [, de Lentulo], de carcere magna et queribunda voce dicebat.*

Quibus e verbis apparet inter se contraria esse P. Lentuli scelus et eiusdem viri poenas, quas solverit. Qua re iteratum Lentuli nomen non modo non sententiae sanae repugnat, sed etiam, omissum si esset, desideraretur, aut pronomen quoddam nominis loco scriberetur oporteret.

At tamen non satisfacit sententiae nominis forma, cum de Lentulo iam in scelere eius commemorando dictum sit. Itaque verba *de Lentulo* a nonnullis in *Lentuli* emendata sunt, quam quidem formam, si tradita esset, nemo suspectam haberet. Sed cum non minus id, quod sententia poscit, efficiatur uno addendo vocabulo, quod per errorem facile omitti poterat, maiorem probabilitatem videtur prae se ferre haec emendatio: *de supplicio de Lentulo sumpto* cet. — Quid, ita loqui non usitatum erat? Ciceronem quidem saepe ita locutus est; ut afferam Verr. II. 37. 91 *ut . . . tum homo nefarius de homine nobili atque id aetatis suoque hospite virgis supplicium crudelissime sumeret*, ibid. V. 45. 117 *supplicium constituitur in illos, sumitur de miseris parentibus nauarchorum*, ibid. V. 48. 126 *Quid, ut de Verre supplicium sumat?*

Denique quod *de Lentulo* legitur, cum paulo ante praenomen additum sit, hoc non ab ea abhorret nominum ponendorum libertate, quae Tulliana scripta legentibus sescenties



occurrit. De se ipse auctor dicit pro Ligar. 2. 6 *Cum M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse . . .* Atque eodem modo praenomine cognomineque utitur Philipp. III. 7. 17 ubi de Quinto fratre loquitur, et Verr. IV. 11. 25 haec leguntur: *Nam ipsi Tullio patebat domus locupletissima et amplissima Cn. Pompei Basilisci . . .*

Praenomen et nomen inveniuntur Verr. IV. 36. 79 *cur M. Tullius P. Africani monumenta requirit . . .* — Modo cognomen modo praenomen et nomen scripsit Cicero pro Milon. 2. 6 *Milonis inimicos . . . T. Anni tribunatu . . . insidias Miloni a Clodio factas . . .* et pro Sestio 40. 87 *Adiit ad rem publicam tribunus pl. Milo (de cuius laude plura dicam, non quo . . . sed quod existimo, si Milonis causam accusatoris voce conlaudatam probaro, vos in hoc crimine parem Sesti causam existimaturos) adiit igitur T. Annius ad causam rei publicae sic, ut civem patriae recuperare vellet ereptum.*

Verr. V. 68. 174 nomine gentili usus haec dicit auctor: *Quam ob rem te quoque, Hortensi, . . . moneo*, et paulo post (176), ubi amicitia atque sinceritate commotus cum eodem Hortensio agit — nam *gaudent praenomine molles auriculae*, ut ait Horatius —: *Nulla tibi, Quinte, cum isto cognatio, nulla necessitudo.*

Praeterea conferri possunt, quae scripta videmus Verr. III. 91. 213 et 93. 216, ibid. IV. 15. 33 et 25. 56. Maxime autem attendenda est nominum Scipionis mutatio; hic enim modo *P. Africanus* modo *P. Scipio* modo *Scipio* modo *Africanus* dicitur: Verr. IV. 36. 79 — 39. 85 et 43. 93, ibid. V. 47. 124 et 125; de Marcello agitur mutatis nominibus Verr. IV. 55. 122; 58. 130 et 131. — Neque huc non pertinent, quae leguntur de orat. II. 12. 54; de fin. I. 3. 9.

7.

Neque desunt in editione Teubneriana nomina seclusa, quae uncis liberanda esse ex totius loci sententia colligi possit. Nam, ut uno utar exemplo, iure iniuriane adhibiti

sint unci de leg. agr. II. 34. 92 qui derimere velit, ei a sententiarum continuatione proficiscendum esse crediderim. Sunt autem verba haec: *Haec consilia maiorum M. Bruto, ut antea dixi, reprehendenda [et P. Rullo] visa sunt: neque te, P. Rulle, omina illa M. Bruti atque auspicia a simili furore deterrent.* Quorum verborum priore parte *(haec consilia . . . visa sunt)* illa sententia repetitur, quae parte superiorum verborum continetur (§ 89): *Quodsi maiores nostri existimassent quemquam in tam illustri imperio et tam praeclara populi Romani disciplina M. Bruti aut P. Rulli similem futurum (hos enim nos duos adhuc vidimus, qui hanc rem publicam Capuam totam transferre vellent), profecto nomen illius urbis non reliquissent.*

Quoniam tum inde a § 90 usque ad § 92 explanavit, quot quantosque ceperit fructus populus Romanus e maiorum illis consiliis, auctor ea verba dicit, de quibus agitur. Itaque uterque eorum, quibus reprehendenda visa sunt maiorum consilia, nominetur opus est. Quod quidem fieri concedendum est, etiamsi verba *et P. Rullo* removeantur; his enim remotis cum verba *haec consilia maiorum . . . deterrent* in unum coeant, haec fere sententia exsistit: maiorum consilia et M. Bruto reprehendenda visa sunt neque P. Rullus a reprehendendis illis deterretur. Sed oratione hunc in modum conformanda cum mutilatur sententiarum series, tum eius vis debilitatur. Nam quae sententia dicitur verbis *haec consilia . . . deterrent* adhibitis uncis, his sublatis continetur verbis *haec consilia . . . visa sunt* iisque continetur nulla declinatione; quae orationis forma propter illud ipsum *ut antea dixi* videtur praestare, si quidem conferuntur quae antea dicta sunt (§ 89) *M. Bruti aut P. Rulli similem* et *hos enim duos.* Tum orator — ut summatim eorum quae insequuntur verba sententia significetur — ita fere pergit: quin etiam tu, P. Rulle, cum idem moliris ac M. Brutus, eius omnia illa atque auspicia neglegis, nam acerbissimas ille pertulit poenas; e. i. furore occaecatus est uterque consilia maiorum reprehendens, eo autem magis P. Rullus, quod nihil didicit ex alterius suppliciis, quamvis gravia fuerint. — Quodsi haec accipitur sententiarum continuatio, cuius probabilitas eo augetur, quod



Bruti, utpote qui nocere non iam possit, furor minor significatur quam eius, qui hac oratione oppugnatur, incluso nomine locus carere non potest.

Itaque in nominis iteratione nihil inesse offensionis videtur apparere; in collocatione vero eius qui haesitat, ei conferenda sunt, quae paulo post (§ 93) leguntur: *Quem hominem ‚vegrandi macie torridum' Romae contemptum, abiectum videbamus, hunc Capuae Campano supercilio ac regio spiritu cum videremus, Blossios mihi videbar illos videre ac Vibellios.*

Neque fortasse alienum est haec verba commemorare de imp. Cn. Pomp. 18. 55 *nos, quorum maiores Antiochum regem classe Persemque superarunt . . .*

Sed quid miri habet eius modi nominis collocatio, quippe quae persaepe non solum apud Ciceronem, sed etiam apud alios scriptores inveniatur. Sicut scripsit Cornelius Nepos vit. Attic. 8. 1 *occiso Caesare cum res publica penes Brutos videretur esse et Cassium ac tota civitas se ad eos convertisset, sic M. Bruto usus est, ut . . .*

Quae cum ita sint, non est, cur P. Rulli nomen in vitii suspicionem vocetur.

Sed finem faciamus disputationi, qua nonnulla nomina a nimia criticorum severitate vindicare conati sumus, non quo orationes Tullianas plus semel falsis additamentis auctas esse nesciamus, sed ne nomina, quibus auctoris dicendi consuetudo non minus quam codicum bonorum auctoritas adminiculo sit, operae nescio cuius vel incuriae tribuantur.

# VITA.

Natus sum Gerhardus Schrader in vico Mandelsloh prope Hannoveram sito die VII mensis Octobris a. MDCCCLXV patre Friderico matre Maria e gente Duwe, quam morte mihi ereptam esse magnopere doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in ludo imbutus a tertio decimo aetatis anno usque ad duodevicesimum annum scholam eiusdem vici frequentavi, quam Busche, magister meus dilectissimus moderatur, quaque in schola eis litteris quibus in inferioribus mediisque gymnasii classibus discipuli erudiuntur. Eademque in schola postquam et ipse per duodecim annos docui, per anni spatium Hildesiae gymnasium Andreanum quod vocatur adii. Maturitatis testimonium vere a. XCVII assecutus civibus academicis litterarum universitatis Berolinensis adscriptus sum. Per decies sex menses studiis philologicis, philosophicis, historicis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi: Diels, Harnack, Hintze, Hirschfeld, Huebner, Kekulé v. Stradonitz, Kirchhoff, Pariselle, Paulsen, Er. Schmidt, Schultz-Gora, Stumpf, Vahlen, d. Wilamowitz-Moellendorff.

Praeterea per bis sex menses exercitationibus prosemimarii philologici, cui Dielsius et Wilamowitzius praesunt, interfui; per quinquies sex menses seminarii regii philologici, quod Kirchhoffius et Vahlenus moderantur, sodalis fui ordinarius idemque senior per bis sex menses.

Viris doctissimis, qui me docuerunt, gratias ago omnibus, candidissimas autem cum Kirchhoffio tum Vahleno, quibus quid debeam numquam obliviscar.

# SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Soph. Phil. 428 sqq. tradita sunt haec verba:

*φεῦ φεῦ· τί δῆτα δεῖ σκοπεῖν, ὅθ' οἵδε μὲν*
*τεθνᾶσ', Ὀδυσσεὺς δ' ἔστιν αὖ κἀνταῦθ' ἵνα*
*χρῆν ἀντὶ τούτων αὐτὸν αὐδᾶσθαι νεκρόν;*

Pro verbis: *αὖ κἀνταῦθ'* propono: *οὐκ ἐνταῦθ'*

II. Oed. Col. 367 pro

*πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρις Κρέοντί τε*
*θρόνους ἐᾶσθαι μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν,*

Sophoclem scripsisse puto:

*πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν κρίσις Κρέοντί τε*

III. Soph. Trach. 1157 sqq. retinenda sunt haec verba tradita:

*σὺ δ' οὖν ἄκουε τοὔργον· ἐξήκεις δ' ἵνα*
*φανεῖς ὁποῖος ὢν ἀνὴρ ἐμὸς καλεῖ.*

Probanda non sunt quae Hensius (Studien zu Soph. p. 236) proponit:

*φανεῖς, ὁ(ποίου) ποῖος ὢν ἀνὴρ καλεῖ.*

Nec substituendus est pro versu 1176 tradito:

*καὶ μὴ 'πιμεῖναι τοὐμὸν ὀξῦναι στόμα,*

hic versus ab eodem Hensio sic conformatus (ibid. p. 235):

*καὶ μὴ μανέντα τοὐμὸν ὀξῦναι στόμα.*

IV. Aeneidos lib. VII. versus 146 et 147:

certatim instaurant epulas atque omine magno
crateras laeti statuunt et vina coronant.

a Ribbeckio seclusos, Vergilianos esse mihi persuasum est.

# VITA.

Natus sum Gerhardus Schrader in vico Mandelsloh prope Hannoveram sito die VII mensis Octobris a. MDCCCLXV patre Friderico matre Maria e gente Duwe, quam morte mihi ereptam esse magnopere doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in ludo imbutus a tertio decimo aetatis anno usque ad duodevicesimum annum scholam eiusdem vici frequentavi, quam Busche, magister meus dilectissimus moderatur, quaque in schola eis litteris quibus in inferioribus mediisque gymnasii classibus discipuli erudiuntur. Eademque in schola postquam et ipse per duodecim annos docui, per anni spatium Hildesiae gymnasium Andreanum quod vocatur adii. Maturitatis testimonium vere a. XCVII assecutus civibus academicis litterarum universitatis Berolinensis adscriptus sum. Per decies sex menses studiis philologicis, philosophicis, historicis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi: Diels, Harnack, Hintze, Hirschfeld, Huebner, Kekulé v. Stradonitz, Kirchhoff, Pariselle, Paulsen, Er. Schmidt, Schultz-Gora, Stumpf, Vahlen, d. Wilamowitz-Moellendorff.

Praeterea per bis sex menses exercitationibus proseminarii philologici, cui Dielsius et Wilamowitzius praesunt, interfui; per quinquies sex menses seminarii regii philologici, quod Kirchhoffius et Vahlenus moderantur, sodalis fui ordinarius idemque senior per bis sex menses.

Viris doctissimis, qui me docuerunt, gratias ago omnibus, candidissimas autem cum Kirchhoffio tum Vahleno, quibus quid debeam numquam obliviscar.

# SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Soph. Phil. 428 sqq. tradita sunt haec verba:

*φεῦ φεῦ· τί δῆτα δεῖ σκοπεῖν, ὅθ' οἶδε μὲν*
*τεθνᾶσ', Ὀδυσσεὺς δ' ἔστιν αὖ κἀνταῦθ' ἵνα*
*χρῆν ἀντὶ τούτων αὐτὸν αὐδᾶσθαι νεκρόν;*

Pro verbis: *αὖ κἀνταῦθ'* propono: *οὐκ ἐνταῦθ'*

II. Oed. Col. 367 pro

*πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρις Κρέοντί τε*
*θρόνους ἐᾶσθαι μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν,*

Sophoclem scripsisse puto:

*πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν κρίσις Κρέοντί τε*

III. Soph. Trach. 1157 sqq. retinenda sunt haec verba tradita:

*σὺ δ' οὖν ἄκουε τοὔργον· ἐξήκεις δ' ἵνα*
*φανεῖς ὁποῖος ὢν ἀνὴρ ἐμὸς καλεῖ.*

Probanda non sunt quae Hensius (Studien zu Soph. p. 236) proponit:

*φανεῖς, ὁ(ποίου) ποῖος ὢν ἀνὴρ καλεῖ.*

Nec substituendus est pro versu 1176 tradito:

*καὶ μὴ 'πιμεῖναι τοὐμὸν ὀξῦναι στόμα,*

hic versus ab eodem Hensio sic conformatus (ibid. p. 235):

*καὶ μὴ μανέντα τοὐμὸν ὀξῦναι στόμα.*

IV. Aeneidos lib. VII. versus 146 et 147:

certatim instaurant epulas atque omine magno
crateras laeti statuunt et vina coronant.

a Ribbeckio seclusos, Vergilianos esse mihi persuasum est.

V. Tibull. II. 6. 45 legi praestat verba:

lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
occulto portans itque reditque sinu:

quam: „lena vetat miserum recipi" cet.

VI. Errat Madvigius, cum Ciceronem pro Rosc. Amer. 49. 142 scripsisse censet: *Quodsi quis est, qui et se et causam laedi putet, cum Chrysogonus vituperetur, is causam ignorat, se ipsum probe novit;* quia scripsisse eum haec verba tradita: . . . *is causam ignorat, se ipsum prope non novit* loci sententia ipsa docet.